DE LIBRORUM QUOS SCRIPSIT SENECA DE IRA COMPOSITIONE ET ORIGINE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ATQUE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE GRYPHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXX. MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLXXXVII

HORA XII

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

RICHARDUS PFENNIG

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

MAXIMILIANUS TORNIER

GEORGIUS THIELE

ERICUS PREUNER.

GRYPHIAE

TYPIS IULII ABEL.

1887.

ADOLFO KIESSLING

S.

De libris quos scripsit Seneca de ira Lipsius in praefatione sua haec dicit: *libri hi in partibus pulchri et eminentes sunt, in toto parum distincti et repetitionibus aut digestione confusi.* quas inconcinnitates repetitiones perturbationes Senecae ille admirator studiosissimus non agnoscere non potuit, hae puto neminem hos libros obiter tantum perlegentem facile effugerunt; sed nemo adhuc paulo accuratius in eas inquisivit. quod nobis facere proposuimus. atque initium capiamus a discrepantia manifesta. proponitur enim alterius libri dimidia parte absoluta haec disputationis de irae remediis partitio II, 18:

quoniam quae de ira quaeruntur tractavimus accedamus ad remedia eius. duo autem, ut opinor, sunt: ne incidamus in iram, et ne in ira peccemus. ut in corporum cura alia de tuenda valetudine, alia de restituenda praecepta sunt: ita aliter iram debemus repellere, aliter compescere. ut vitemus, quaedam ad universam vitam pertinentia praecipientur: ea in educationem et in sequentia tempora dividentur. educatio maximam diligentiam . . .

itaque quaestionibus dogmaticis de irae natura specie effectibus origine necessitate vel utilitate absolutis Seneca iam ad alteram partem disputationis suae transit quasi practicam vel paraeneticam, qua de remediis irae agit. atque bipertito quidem materiam disponit: dicturus est primum *quomodo non incidamus in iram,* tum *quomodo non in ira peccemus,* vel, ut statim aliis verbis exsequitur, primum quomodo *iram debeamus repellere,* tum quomodo *compescere.*

quibus age conferamus III, 5, 2: *sed cum primum sit non irasci, secundum desinere*), tertium alienae quoque irae mederi, dicam primum, quemadmodum in iram non incidamus,*

---

*) Gronovii emendationem teneo.

deinde quemadmodum nos ab illa liberemus, novissime quemadmodum irascentem retineamus placemusque et ad sanitatem reducamus. ne irascamur praestabimus, si omnia vitia irae nobis subinde proposuerimus . . . . accusanda est apud nos, damnanda . . . .

quid? nonne eadem materia quae nos per totam alteram libri II partem detinuit, nunc quasi res prorsus nova sit, rursus tractatur? atque supra bipertito disposita erat, nunc in tres partes dividitur. atque prima quidem pars utrobique una eademque est: praecipere quemadmodum *non incidamus in iram* prorsus iisdem verbis usus scriptor proponit. etiam partem alteram utriusque partitionis ad eandem rem spectare concedes: nam docere quemadmodum *in ira non peccemus* (II, 18) i. e. quemadmodum *iram compescamus,* et dicere quemadmodum *desinamus irasci* et sic *nos ab ira liberemus* (III, 5), ad idem redit. licet verba *ne in ira peccemus* (II, 18) et *quemadmodum nos ab illa liberemus* (III, 5) paullum vaga parumque congruentia videantur, ex iis quae explicationis gratia utroque loco adiecta sunt, illud manifesto apparet. accedit igitur in posteriore divisione tertia quaedam pars *alienae quoque irae mederi*; adicit Seneca *novissime quemadmodum irascentem retineamus placemusque et ad sanitatem reducamus,* cuius loci in iis quae antecedunt mentionem peculiarem tam disertis expressisque verbis quam hic factam nusquam invenies. haec pro certo constant.

quomodo hae duae partitiones in eiusdem operis diversis partibus occurrentes inter se conciliari possunt, partitiones duae quarum posterior priorem totam atque integram complectitur uno membro adiecto?

Lipsius*) quidem eumque fere omnes quod sciam secuti putant alteram partem divisionis bipertitae *ne in ira peccemus* ab initio libri tertii Senecam exsequi, vehementer aperteque errantes. immo patet tantum abesse ut Seneca libro tertio ad ea quae altera parte alterius dixerat respiciat, nedum ea continuet, ut contra quasi nihil omnino antea de his rebus

*) cf. quae adnotat II, 18, III, 1 et 5.

expositum sit, prorsus de integro sese accingat ad vim perniciosam, ad aspectum irae taetrum ante oculos ponenda atque partitione nova ac tripertita quidem de remediis irae instituta primam partem *ne irascamur* denuo exsequi incipiat.

quid? quomodo, quaeso, dici potest in altera libri alterius parte de remediis *ne incidamus in iram* agi, tertio *ne in ira peccemus* sive *ut refrenemus iram et inhibeamus*, ut Lipsius vult? utrumque falsissimum. nam e. g. II, 36 iam in altera parte disputationis versamur cui ille tertium librum assignat: *quibusdam, ut ait Sextius, iratis profuit adspexisse speculum. perturbavit illos tanta mutatio sui.* neque enim hic de iis sermo est qui quominus omnino irascantur caveant, sed iratis apud quos affectus iam erupit praecipitur quomodo se ab eius pleno impetu ad sanitatem revocent. porro cap. 29,1: *maximum remedium irae mora est . . . . graves habet impetus primos: desinet, si expectat* . . . . agnoscis verbum *desinere:* atqui III, 5, 2 demum legimus: *sed cum sit . . . . secundum desinere . . . ., dicam . . . . deinde quemadmodum nos ab illa liberemus . . . .*

vicissim tota series capitum inde a III, 5, 3, nae ipsa verba initii *ne irascamur praestabimus, si omnia vitia irae nobis subinde proposuerimus et illam bene aestimaverimus* commonstrant rursus locum primum de remediis ut ita dicam prophylacticis *quibus obviam eatur morbo antequam exoriri possit,* dedita opera nos detinere.

falsam esse Lipsii sententiam indicat exordium ipsum huius libri: *quod maxime desiderasti, Novate, nunc facere temptabimus, iram excidere animis aut certe refrenare et impetus eius inhibere. id aliquando palam aperteque faciendum est . . . . aliquando ex occulto . . . .* — quid? nunc demum Seneca iram sive excidere animis sive refrenare et impetus eius inhibere temptat? itane vero? nonne iam inde a capitt. II, 19, 20 totus in hac re est? legas velim e. g. initia tantum quorundam capitum:

II, 22, 2: *contra primas itaque causas pugnare debemus . . . . (3) ne sint aures criminationibus faciles . . . .*

24, 1 . . . . *tollenda ex animo suspicio et coniectura, fallacissima inritamenta* . . .

25, 1 . . . . *ut minimis sordidissimisque rebus non exacerbemur.*

29, 1 *maximum remedium irae mora est* . . . . *nec universam illam temptaveris tollere: tota vincetur, dum partibus carpitur* . . . .

fere partem dimidiam libri II exscribere debeo, si omnes locos quibus iam ante exordium libri tertii *iram excidere animis aut certe refrenare et impetus eius inhibere* Seneca temptat, congerere vellem. si, ut in re aperta unum tantum addam, lego III, 3,1: *non est, inquis, dubium, quin magna ista et pestifera sit vis: ideo quemadmodum sanari debeat monstra, atqui* . . . . nonne stupebo? atqui, inquam, inde a II, 18 usque ad finem libri uno fere tenore ira quemadmodum sanari debeat monstrare studuisti!

quid hoc sibi vult? talia concoquat qui poterit: nemo, equidem puto, Lipsianam sententiam non improbabit, nemini adeo facile ut illi ratio conveniet ut nihil reliqui faciat.

sed accedunt alia eaque non minus gravia. non minimum offendo et offendebant iam veteres editores et interpretes in eo quod ter in his libris descriptio amplior irae occurrit. cuius rei taedium singulare ne imminuatur, locos integros apponere e re esse videtur.

1) in initio operis I, 1, 3: . . . . *ut scias autem non esse sanos quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere. nam ut furentium certa indicia sunt audax et minax voltus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color versus, crebra et vehementius acta suspiria, ita irascentium eadem signa sunt: flagrant ac micant oculi, multus ore toto rubor exaestuante ab imis praecordiis sanguine, labra quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus mugitusque et parum explanatis vocibus sermo praeruptus et complosae saepius manus et pulsata humus pedibus et totum concitum corpus magnasque frons venas agens**), *foeda visu et*

*) Gertzium sequor.

horrenda facies depravantium se atque intumescentium. nescias utrum magis detestabile sit vitium an deforme . . . . non vides ut omnium animalium, simul ad nocendum insurrexerunt, praecurrant notae ac tota corpora solitum quietumque egrediantur habitum et feritatem suam exasperent? spumant apris ora, dentes acuuntur adtritu, taurorum cornua iactantur in vacuum et harena pulsu pedum spargitur, leones fremunt, inflantur inritatis colla serpentibus, rabidarum canum tristis adspectus est: nullum est animal tam horrendum tam perniciosumque natura, ut non appareat in illo, simul ira invasit, novae feritatis accessio . . . .

2) in fine libri II, c. 35,3: *nihil tamen aeque profuerit quam primum intueri deformitatem rei, deinde periculum. non est ullius adfectus facies turbatior. pulcherrima ora fœdavit, torvos vultus ex tranquillissimis reddit:*

„linquit decor omnis“

iratos: et sive amictus illis compositus est ad legem, trahent vestem omnemque curam sui effundent; sive capillorum natura vel arte iacentium non informis habitus, cum animo inhorrescent. tumescent venae, concutietur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla distendet. tum artus trepidi, inquietae manus, totius corporis fluctuatio. qualem intus putas esse animum, cuius extra imago tam foeda est? quanto illi intra pectus terribilior voltus est, acrior spiritus, intentior impetus, rupturus se nisi eruperit? quales sunt hostium vel ferarum caede madentium aut ad caedem euntium adspectus, qualia poëtae inferna monstra finxerunt subcincta serpentibus et igneo flatu, quales ad bella excitanda discordiamque in populos dividendam pacemque lacerandam taeterrimae inferum exeunt: talem nobis iram figuremus, flamma lumina ardentia, sibilo mugituque et stridore et si qua his invisior vox est perstrepentem, tela manu utraque quatientem, neque enim illi se tegere curae est, torvam cruentamque et cicatricosam et verberibus suis lividam, incessus vesani, obfusam multa caligine, incursitantem, vastantem fugantemque et omnium odio laborantem, sui maxime, si aliter nocere non possit, terras, maria, caelum

ruere cupientem, infestam pariter invisamque. vel, si videtur, sit qualis apud vates nostros est,

sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum,
aut scissa gaudeus vadit Discordia palla,

aut si qua magis dira facies excogitari diri adfectus potest.

3) in initio libri III, c. 4, 1: *ut de ceteris dubium sit, nulli certe adfectui peior est voltus, quem in prioribus libris descripsimus asperum et acrem et nunc subducto retrorsus sanguine fugatoque pallentem, nunc in os omni calore ac spiritu verso subrubicundum et similem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis et exilientibus, nunc in uno obtutu defixis et haerentibus. adice dentium inter se arietatorum ut aliquem esse cupientium non alium sonum quam est apris tela sua adtritu acuentibus. adice articulorum crepitum, cum se ipsae manus frangunt et pulsatum saepius pectus, anhelitus crebros tractosque altius gemitus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra interdumque compressa et dirum quiddam exsibilantia: ferarum me hercules, sive illas fames agitat sive infixum visceribus ferrum, minus taetra facies est, etiam cum venatorem suum semianimes morsu ultimo petunt, quam hominis ira flagrantis. age si exaudire voces ac minas vacet, qualia excarnificati animi verba sunt! . . . .*

qualis, quaerimus nos, ista est ineptia vel potius dementia idem bis recoquere? — Seneca quantumvis eiusmodi descriptiones declamationesque luminibus rhetoricis distinctas in deliciis habuerit, certe non is fuisse putandus est qui eis in tam insulsum inficetumque modum indulgeret. Talem ἔκφρασιν si semel iterasset, libenter ferremus; immo admodum aptum videri potest descriptioni illi in prooemio operis datae alteram eamque, si id fieri potest, vividiorem etiam magnificentioremque in fine adicere, qualis est illa II, 35; ut quae hucusque contra iram disputata declamata praecepta sunt, omnia haec quasi comprehendat atque ita lectorem detestatione et contemptu irae repletum dimittat. sed quid quod post alteram descriptionem nonnisi quattuor capitibus intermissis tertia statim subsequitur eaque multo quidem minus splendida, immo multo tenuior ieiuniorque, ita ut ne gradatione quidem res

taediosa acceptior fiat, primae similior prorsus inopinantibus nobis atque invitis obtruditur?

hoc mea quidem sententia gravissimis scrupulis obnoxium est, adeo ut quaeri possit, sintne hi libri sic ut nos eos nunc habemus, qualecumque de eo iudicium fers, a Seneca ipso redacti.

cuius rei explanatio non ita remota videtur. supra videramus de eodem argumento, de remediis irae scriptorem secundo libro bipertita divisione usum agere sibi proponere, tertio libro tripertita; videramus porro in initio libri tertii eum adeo non ea respicere quae in antecedentibus iam confecta esse credebas, ut denuo de integro primam partem — *quomodo omnino non irascamur* — disertis verbis aggrederetur atque persequeretur; nunc videmus in tertio libro descriptionem irae qualem statim in exordio libri primi, tum modo in fine secundi qui proxime antecesserat legeramus, rursus praeter omnem exspectationem atque adeo ut gravius offendas repeti: quae cum ita sint, quid, si plures quas dicunt recensiones eorundem argumentorum in his tribus libris de ira extarent? —

ad quam opinionem sive comprobandam sive labefactandam nimirum investigatione altius repetita opus est. certi quicquam stabiliri nequit nisi horum librorum dispositione accuratius examinata, ordine praecipue atque nexu sententiarum percenso et diligenter congestis quae iterata inveniuntur maximeque in libro tertio similiter atque in aliis duobus occurrunt.

I.

Incipiam ab iteratis quae mirum in modum in his libris frequentia esse editores et interpretes una voce affirmant. atque de irae descriptionibus tribus, exemplo insigni, iam dictum est; adnectam luculenta quaedam:

II, 32, 3: ***multi leves iniurias altius sibi demisere,***	III, 25, 3: *illud non veniet in dubium quin se exemerit turbae et altius steterit quisquis despexit lacessentis. proprium est magnitudinis*

dum vindicant: ille magnus et nobilis qui more magnae ferae latratus minutorum canum securus exaudit.	*verae non sentire percussum. sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit. . . .*

sic in uno eodemque libello Senecam se ipsum iterasse quis non miratur?

I, 15, 3: *inde est quod Socrates servo ait: caederem te, nisi irascerer...*	III, 12, 6 sq.: (Plato)... *abstulit sibi in suos potestatem et ob peccatum quoddam commotior, tu, inquit, Speusippe, servulum istum verberibus obiurga, nam ego irascor* . . . . (7) . . .
cuius erit iam) temperatus adfectus, cum Socrates non sit ausus se irae committere?* . . .	*aliquis vult irato committi ultionem cum Plato sibi ipse imperium abrogaverit?* . . . .

putasne tu Senecam suorum ipsius verborum adeo non fuisse curiosum, ut persimilem narratiunculam in unius neque ita ampli operis libro primo de Socrate, tertio de Platone proferret, sic tamen ut utrobique eandem fere interrogationem rhetoricam cum eodem fere enuntiato adversativo a *cum* incipienti in insequentibus adnecteret?

iam vero quas congesturus sum palillogias, eas probe scio singulas si per se perpendis, non ita multum valere; neque enim ignoro apud nullos scriptores adeo frequentes adeoque excusabiles occurrere quam apud ipsos philosophos. bellissime huc facit aptumque quod investigationem nostram exorsi memoria teneamus est quod unus ex recentibus**) de hac re sic disserit: „woselbst (in den Schriften der Philosophen) man sich immerhin . . . . auf wohlgewählte Hauptcapitel beschränken mag, um so mehr als sie alle von Wiederholungen strotzen . . . . wir finden auch in den

---

*) Gertzii emendationem recipio, licet ipse reiecerit.

**) Schopenhauer, Parerga und Paralipomena [2] ed. Frauenstädt. v. I. p. 35. 37.

Werken der Neueren, z. B. des Cartesius, Spinoza, Leibnitz und selbst Kants die **wenigen Fundamentalsätze** ihrer **Philosophien zahllose Male wiederholt**; so dass diese Philosophen sämtlich den Waidspruch des Empedokles, der auch schon ein Liebhaber des Repetitionszeichens gewesen sein mag, *δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν* (Sturz, Emp. Agrig. 504), adoptirt zu haben scheinen".

itaque illud minime mirum esse debet scriptorem hic illic saepius ad ea quae supra iam attigerat iterum revolvi: verum enimvero si iterata tot tamque comparata deprendes, ut fere nullum omnino gravius caput libri tertii (id quod infra*) demum ante oculos ponere studebimus) sit quin aliquo modo cum locis in superioribus libris occurrentibus conspiret, illud, puto, non potest non offendere. nos age vero, ne parum probemus, si nimium probare volemus, graviora tantum seligamus.

I, 5, 2: *an secundum naturam sit manifestum erit si hominem inspexerimus .... homo in adiutorium mutuum genitus est, ira in exitium; hic congregari vult, illa discedere; hic prodesse, illa nocere ....*	III, 5, 6: (ira) *naturam hominis eiurat. illa in amorem hortatur, haec in odium, illa prodesse iubet, haec nocere ....*

— agnoscisne eandem antithesin, eadem verba? haec stringuntur etiam II, 31, 6:

*illud ante omnia cogita fœdam esse et execrabilem vim nocendi et alienissimam homini**)* .. — nonne concedis cum hoc oco tanquam brevi significatione perbene ampliorem I, 5, 2 coire

---

*) cf. p. sqq.

**) ceterum quae sequuntur: *cuius beneficio etiam saeva mansuescunt. adspice taurorum iugo colla submissa et elephantorum pueris .... terga calcata .... et dracones et .... ursorum leonumque ora placida ..* redeunt III, 8, 3: *si videris feras quoque convictu nostro mansuescere nullique etiam immani bestiae vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est.* talia iam supra esse exposita nulla mentio adicitur; sed haec leviuscula.

posse, tertium locum aegre posse? quid, si I, 5, 2 alteram, III, 5, 6 alteram haberemus recensionem?

porro de effectibus perniciosis irae:

I, 2, 2: *adspice nobilissimarum civitatum fundamenta vix notabilia: **has ira deiecit.** adspice solitudines per multa milia sine habitatore desertas: **has ira exhausit.** adspice tot memoriae proditos duces . . . .: **alium ira in cubili suo confodit, alium** intra sacra . . . . percussit, **alium** . . . ., **alium** . . . . **alium** . . . .*	III, 5, 6: *nihil est simultatibus gravius: **has ira conciliat.** nihil est bello funestius: **in hoc potentium ira** prorumpit . . . .*

— haec per se leviora videntur.

porro:

II, 30, 1: *. . . . **puer est: aetati donetur.** nescit an peccet. pater est: . . . . **mulier est:** errat. iussus est: necessitati quis nisi iniquus succenset? laesus est. . . . . iudex est . . . . rex est . . . . mutum animal est . . . . deus est . . . . bonus vir est qui iniuriam fecit: noli credere. malus: noli mirari . . . .*	III, 24, 3: ***puerum aetas** excuset, **feminam** sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. nunc primum offendit: cogitemus quam diu placuerit. saepe et alias offendit: feramus quod diu tulimus. amicus est: fecit quod noluit. inimicus: fecit quod debuit. prudentiori credamus, stultiori remittamus . . . .*

commode adiciam similes utriusque libri locos, ut eandem fere materiam diversis modis in utroque per plura capita tractari intellegas.

ex cap. II, 28 quod totum huc facit pauca tantum exscribam:

(1) *si volumus aequi rerum omnium iudices esse, hoc primum nobis persuadeamus neminem nostrum esse sine culpa . . . .* (4) *hoc cogitantes aequiores simus delinquentibus . . . . cogita an prior feceris . . . .* (5) *cogitemus . . . . alios non facere iniuriam, sed reponere, alios pro nobis facere, alios coactos facere, alios ignorantes . . . .* (7) *sed ubi tam aequum iudicem invenies? . . . .*

II, 22, 4 *itaque agenda est contra se causa absentis et in suspenso ira retinenda* . . . .

III, 12, 2 . . . . *nemo animum facientis, sed ipsum aestimat factum. atqui ille intuendus est voluerit an inciderit, coactus sit an deceptus, odium secutus sit an praemium, sibi morem gesserit an alteri commodaverit. aliquid aetas peccantis facit, aliquid fortuna . . . . nunc facit nos iracundos iniqua nostri aestimatio.*

III, 28, 4 . . . . *multum autem interest, utrum aliquis voluntati meae obstet an desit, eripiat an non det. atqui in aequo ponimus utrum aliquis auferat an neget . . . . utrum contra nos faciat an pro se . . . . alius patrem tuetur alius fratrem, alius patriam . . . . saepe de facto bene existimamus, de faciente male . . . .*

vehementer legentem me offendebat id, quod in ipso exordio libri tertii quasi nondum tractatam materiam scriptor exsequitur quae modo in fine libri antecedentis satis attigerat. atque de descriptionibus irae II, 35 et III, 4 iam dictum est; adice comparationem eius cum ceteris vitiis:

II, 36, 6: *maximum . . . . illos malum cepit et omnia exsuperans vitia. . . . . omnis denique alios*

III, 5, 4 sq . . . . *ut qualis sit adpareat, comparanda cum pessimis est. avaritia adquirit et contra-*

adfectus sibi subicit. amorem ardentissimam vincit . . . . avaritiam durissimum malum minimeque flexibile, ira calcavit adactam opes suas spargere et domui rebusque in unum collatis inicere ignem. quid? non ambitiosus magna aestimata proiecit insignia honoremque delatum reppulit? nullus adfectus est in quem non ira dominetur . . . .

hit quo aliquis melior utatur: ira impendit, paucis gratuita est. iracundus dominus quot in fugam servos egit? . . . . ira patri luctum, marito divortium attulit, magistratui odium, candidato repulsam. peior est quam luxuria, quoniam illa sua voluptate fruitur, haec alieno dolore. vincit malignitatem et invidiam: illae enim infelicem fieri volunt, haec facere . . . . nocere ei quem odit, non noceri vult . . . .

praeterea quae illi loco II, 36, 6 proxime antecedunt de furore irae non minus conspirant cum iis quae statim paucis versibus infra subsequuntur in initio libri III:

II, 36, 5: *nulla celerior ad insaniam via est. multi itaque continuaverunt irae furorem nec quam expulerant mentem unquam receperunt . . . mortem liberis, egestatem sibi, ruinam domui imprecantur . . . .* (6) *alia paulatim intrant* (sc. mala): *repentina et universa vis huius est . . . .*

III, 1, 3 *ceteri enim adfectus dilationem recipiunt et curari tardius possunt: huius incitata et se ipsa rapiens violentia non paulatim procedit, sed dum incipit, tota est. nec . . . . sollicitat animos, sed abducit et impotentes sui cupidosque vel communis mali exagitat . . . . in occurrentia ob iter furit. cetera vitia impellunt animos: ira praecipitat . . . .* (5) *alia accessus lenes habent et incrementa fallentia: in iram deiectus animorum est.*

neque timebimus profecto, ne contendat quispiam Annaeuum consilio quae modo breviter adumbrasset, statim infra copiosius

expressissse: eiusmodi consilii equidem neque vestigium invenio nsque rationem perspicio. deinde conferamus:

II, 36, 4, proxime antea: *magis illud videndum est quam multis ira per se nocuerit. alii nimio fervore rupere venas et sanguinem supra vires elatus clamor egessit et luminum subfudit aciem in oculos vehementius umor egestus et in morbos aegri recidere. nulla celerior ad insaniam via est . . . . Aiacem in mortem egit furor, in furorem ira . . .*

III, 28, 2: . . . . *cum id (sc. volnus infligere) tibi contingere sine certamine ac periculo non possit, etiamsi cum inferiore concurses. vinctum licet accipias et ad arbitrium tuum omni patientiae expositum: saepe nimia vis caedentis aut articulum loco movit aut nervum in his quos fregerat dentibus fixit. multos iracundia mancos, multos debiles fecit. . . . . adice nunc quod nihil tam imbecille natum est ut sine elidentis periculo pereat . . . .*

utroque hoc loco iram per se ipsam irascentibus saepius nocere exponitur. sed videamus porro:

II, 29, 1. *maximum remedium irae mora est. hoc ab illa pete initio, non ut ignoscat, sed ut iudicet. graves habet impetus primos: desinet, si expectat.* . . . . similiter iam 22, 3: . . . . *dandum semper est tempus: veritatem dies aperit.*

III, 12, 4 . . . . : *atqui maximum remedium irae dilatio est, ut primus eius fervor relanguescat . . . . quaedam . . . . hora, non tantum dies molliet . . . . si nihil egerit petita advocatio, apparebit iam iudicium esse, non iram quicquid voles quale sit scire, tempori trade . . . .*

hic plures, puto, recensiones manibus palpare potes. ad II. 22, 2 age statim connexa quaedam adiciamus:

II, 22, 4: *quid, quod non criminationibus tantum, sed suspicionibus impelli-*

III, 12, 1: *magna pars querellas manu fecit aut falsa suspicando aut le-*

mur . .? — tum exemplis nonnullis interectis c. 24, 1: *tollenda ex animo suspicio et coniectura, fallacissima inritamenta . . .*

via, adgravando . . . (ira) numquam arcessenda est. etiam cum incidit reiciatur . . .

et:

II. 28, 1 . . . *hoc primum nobis persuadeamus, neminem nostrum esse sine culpa . . .* (2) *quis est iste qui se profitetur omnibus legibus innocentem? ut hoc ita sit, quam angusta innocentia est ad legem bonum esse? . . .*

III. 26, 3 . . . *vide nunc quanto in iis iustior venia sit, quae per totum genus humanum volgata sunt. omnes inconsulti et improvidi sumus, omnes incerti, queruli, ambitiosi . . . omnes mali sumus . . . mali inter malos vivimus.*

quae si perpendes atque insuper addes locos quos pagg. 10, 11, 13 enumeravimus, intelleges II, c. 22—28/30 atque III, 12—26 (in universum tantum tale quid affirmari et computari potest) eandem fere materiam tractári, ita quidem ut pro pauculis illis exemplis II, 23 prolatis longam seriem III, 14—23 substitutam legamus. — ceteroquin *omnes malos esse, omnia sceleribus ac vitiis plena, innocentiam non raram, sed nullam* iam II, 7—10 per quattuor fere capita satis superque Seneca persecutus est; cf. e. g. *multi mihi occurrent vino dediti, multi ingrati, multi avari, multi furiis ambitionis agitati . . .*

conferamus nunc:

I, 13, 5: *quid quod, si bonum esset ira, perfectissimum quemque sequereretur? atqui iracundissimi infantes senesque et aegri sunt. et invalidum omne natura querulum est.*

II, 19, 4: *quibus umidi plus inest, eorum paullatim crescit ira . . . . itaque puerorum feminarumque irae acres sunt magis quam graves . . . . senes difficiles et queruli sunt ut*

III, 9, 1: *studia quoque graviora iracundis omittenda sunt aut certe citra lassitudinem exercenda . . . . . .* (3) *fugere debemus . . . omnia quae exulcerant vitium aeque cavere lassitudinem corporis. consumit enim*

20, 3: . . . *contra mihi videtur* *veternosi* *et* *infelicis animi*, *imbecillitatis sibi conscii*, *saepe indolescere*, *ut* *exulcerata et aegra corpora*, *quae ad tactus levissimos gemunt*. *ita ira muliebre maxime ac puerile vitium est. at incidit et in viros. nam viris quoque puerilia ac muliebria sunt ingenia* . . . .

aegri et convalescentes et quorum aut lassitudine aut detractione sanguinis exhaustus est calor. in eadem causa sunt siti fameque tabidi et quibus exsangue corpus est maligneque alitur et deficit . . . . pro cuiusque natura quidam ebrii effervescunt, quidam saucii.

25, 1: *aeger et infelicis valetudinis est quem levis aura contraxit, adfecti oculi quos candida vestis obturbavit, dissolutus deliciis cuius latus alieno labore condoluit* . . . .

quicquid in nobis mite placidumque est et acria concitat . . . . (4) *bilem* . . . . *maxime movet fatigatio*, *sive quia calorem in media compellit et nocet sanguini cursumque eius* . . . *sistit, sive quia corpus adtenuatum et infirmum incumbit animo. certe ob eandem causam iracundiores sunt valetudine aut aetate fessi.* (5) *fames quoque et sitis ex isdem causis vitanda est: exasperat et incendit animos. vetus dictum est a lasso rixam quaeri. aeque autem et ab esuriente et a sitiente et ab omni homine quem aliqua res urit. nam ut ulcera ad levem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt, ita animus adfectus minimis offenditur* . . . .

habes igitur hic non *δὶς καὶ τρίς*, sed quinquies *τὸ καλόν*. simul illud quoque ne neglexeris quam in tertio libro scriptor ne verbo quidem ad eas rationes ex humana natura petitas recurrat quas in secundo de connexu, qui inter corporis naturam condicionemque atque iracundiam intercedat, tam distincte exposuerat. immo tertio libro proinde ac si res prorsus nova agatur, optionem rursus tibi inter duas rationes dat: *bilem* . . . *maxime movet fatigatio sive quia calorem in media compellit et nocet sanguini cursumque eius venis laborantibus sistit, sive quia corpus adtenuatum* . . . . *incumbit animo.*

persimilis est ratio horum locorum:

II, 19, 2. *refert quantum quisque umidi in se calidique contineat. cuius in illo elementi portio praevalebit, inde mores erunt. iracundos fervidi animi natura faciet: est enim actuosus et pertinax ignis. frigida mixtura timidos facit: pigrum est enim contractumque frigus . . .*

III, 7, 2. *faciet . . . te asperum paenitentia operis infecti. hoc interest utrum quis fervidi sit ingeni an frigidi atque humilis: generoso repulsa iram exprimet, languido inertique tristitiam . . .*

gravius est, quotiens disputatur contra eos, Aristotelem maxime, qui iram ut utilem atque adeo necessariam aut certe tolerabilem defendunt: sic inde a. c. 7 per totum fere librum primum; ex quibus brevitatis causa summa tantum proponere liceat:

7, 1: *numquid quamvis non sit naturalis ira, adsumenda est, quia utilis saepe fuit? extollit animos et incitat. nec quicquam sine illa magnificum in bello fortitudo gerit, nisi hinc flamma subdita est et hic stimulus peragitavit misitque in pericula audaces. optimum itaque quidam putant temperare iram, non tollere . . . et . . . ad salutarem modum cogere . . .*

9, 1: *deinde nihil habet in se utile nec acuit animum ad res bellicas . . . .* (2) *ira, inquit Aristoteles, necessaria est. nec quicquam sine illa expugnari potest, nisi illa implet animum et spiritum accendit. utendum autem illa est non ut duce, sed ut milite . . . .*

11, 1: *sed adversus hostes, inquit, ira necessaria est. nusquam minus . . . . quid enim est aliud quod barbaros tanto robustiores corporibus tanto patientiores laborum comminuat nisi ira infestissima sibi? . . . .* (2) *quid Cimbrorum Teutonorumque tot milia ita sustulit . . . . nisi quod erat illis ira pro virtute? . . . .* (8) *non est itaque utilis ne in proeliis quidem aut bellis ira . . . .*

17, 1: *Aristoteles ait adfectus quosdam, si quis illis bene utatur, pro armis esse. quod verum foret, si velut bellica instrumenta sumi deponique possent induentis arbitrio. haec arma, quae Aristoteles virtuti dat, ipsa per se pugnant, et . . . . habent, non habentur . . . .* et porro per capita insequentia.

sic saepius de hac re etiam in libro II:

c. 11, 1: *utilis est, inquit, ira, quia contemptum effugit, quia malos terret. . . .*

13, 1: *. . . . non est quod patrocinium nobis quaeramus et excusatam licentiam, dicentes aut utile id esse aut inevitabile . . . . .* (3) *debet ira removeri . . tota dimittatur, nihil profutura est. . . .*

17, 2: *languidus, inquit, animus est, qui ira caret. . . .*

33, 1: *minus, inquit, contemnemur, si vindicaverimus iniuriam. si tanquam ad remedium venimus, sine ira veniamus. . . . .*

— satis superque hoc inculcatum! exclamabis: at in tertio libro denuo invenies; bis, in initio et in fine:

c. 3, 1: *. . . atqui, ut in prioribus libris dixi, stat Aristoteles defensor irae et vetat illam nobis exsecari: calcar ait esse virtutis. hac erepta inermem animum et ad conatus magnos pigrum inertemque fieri . . .* (5) *non est ergo quod me putes tempus in supervacuis consumere quod iram . . . infamem, cum aliquis sit et quidem de inlustribus philosophis, qui illi indicat operas et tanquam utilem ac spiritus subministrantem in proelia, in actus rerum, ad omne quodcumque calore aliquo gerendum est, vocet.*

41, 3: *. . . at volgus animosa miratur et audaces in honore sunt, placidi pro inertibus habentur. primo forsitan adspectu. . . . . nihil ergo habet in se utile taeter iste et hostilis adfectus, at omnia ex contrario mala, ferrum et ignes. . . . .*

hi duo loci extremi maxime sunt memorabiles. imprimis ultima disputatio tertio capite ante finem totius operis, disputatio de ea re cui in initio longa series capitum integrorum consecrata est, quae in medio scripto saepius tractata, mire

languet et plane inopinantibus nobis obtruditur: qui repetitionem talem in uno eodemque opere recurrentem concoquit, cum eo non iam litigemus. ad Aristotelem refutandum hominem Stoicum omne studium conferre debuisse non in animo est negare: ego nego Senecam res et argumenta tam totiensque iterata dedita opera et ratione disponere potuisse.

omnes hae offensiones resolventur, si locos hos libri tertii singulari cuidam sive scripto sive recensioni tribuere animum inducere poteris. sed quid? nonne vero, quominus libellum peculiarem supponas, aperte obstant verba III, 3, 1: *atqui, ut in prioribus libris dixi, stat Aristoteles defensor irae, ...* non minus quam capitis insequentis 4, 1: *nulli certe adfectui peior est voltus quem in prioribus libris descripsimus asperum et acrem ....* quippe quae demonstrent Senecam ipsum hunc tertium libellum prioribus adnexum esse voluisse? haec verba certe; quo magis mirum est, quod innumeris aliis locis ubi res etiam magis talem requirit mentionem eam nequicquam quaeris. de qua re infra amplius dicendum erit. —

sed age iam cetera persequamur quae similia vel paria in his libris occurrunt ita ut plurium recensionum eiusdem rei atque argumenti speciem prae se ferant. in his omnibus illud puto observabis, tertium imprimis librum modo cum primo, modo cum altero conspirare, non ita saepe primum cum altero: adeo ut nullam fere graviorem cogitationem, nullum fere gravius argumentum*), si quaestiones illas de natura atque origine irae subtiliores primi et ineuntis alterius libri omittes, in prioribus duobus invenias, quin tertius quoque liber persequatur aut certe significet.

II, 33, 1: ... *saepe autem satius fuit dissimulare quam ulcisci. potentiorum iniuriae hilari voltu, non patienter tantum ferendae sunt ... hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes: quos laeserunt et oderunt ....*	III, 13, 7: ... *ex quibus* (sc. Praexaspis et Harpagi exemplis quae deinceps narrantur) *discere utrumque licet, quantum mali habeat ira, ubi hominum praepotentium potestate tota utitur, quantum sibi imperare possit, ubi ....*

*) cf. p. 32 sq.

sequitur Pastoris exemplum; tum 34, 1: *ergo ira abstinendum est, sive par est qui lacessendus est sive superior sive inferior. cum pare contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum.*

16, 1: . . . . *iram, in quocumque erimus statu, removeamus: perniciosa est servientibus* . . . . . . (2) *sed cum utilis sit servientibus adfectuum suorum et huius praecipue rabidi atque effreni continentia, utilior est regibus* . . . .

aeque ad idem redeunt II, 25 et III, 35, ex quibus omnia exscribere supersedemus:

II, 25, 1: *inde et illud sequitur ut minimis sordidissimisque rebus non axacerbemur. parum agilis est puer aut tepidior aqua poturo aut turbatus torus aut mensa neglegentius posita* . . . . (3) *ubi animum simul et corpus voluptates corrupere, nihil tolerabile videtur, non quia dura, sed quia mollis patitur. quid est enim cur tussis alicuius aut sternutamentum aut musca* . . . *in rabiem agat aut obversatus canis aut clavis neglegentius* . . . *elapsa? feret iste aequo animo civile convicium et ingesta* . . . . *maledicta, cuius aures tracti subsellii stridor offendit?* . . . . *nulla itaque res magis iracundiam alit quam luxuria intemperans et impatiens: dure tractandus*

III, 35, 1: *respondisse tibi servum indignaris libertumque et uxorem et clientem:* . . . . *rursus si tacuit interrogatus, contumaciam vocas* . . . . (3) *in hoc habes aures ut non modulata tantum et mollia* . . . *accipiant: et risum audias oportet et fletum* . . . *et prospera et tristia* . . . . *quid miser expavescis* . . . . *ad tinnitum aeris aut ianuae impulsum? cum tam delicatus fueris, tonitrua audienda sunt. hoc* . . . . *transfer ad oculos:* . . . . *macula offenduntur et sordibus* . . . . *qui nolunt domi nisi auro pretiosiora calcari, aequissimo animo foris et scabras* . . . . *semitas spectant et maiorem partem occurrentium squalidam* . . . .
. . . .

animus est, ut ictum non sentiat nisi gravem.

36, 1: *omnes sensus perducendi sunt ad firmitatem* . . . .

nonne hic parallelismum quendam agnoscis? in alio contextu scriptor haec iam breviter attigerat I, 12, 4: . . . . *idem faciunt (si irascuntur), si vitreum fractum est, si calceus luto sparsus est* . . . . *(iram)* . . . . *infirmitas movet.*

— porro sibi respondent:

I, 18, 2: *etiam si ingeritur oculis veritas, amat et tuetur errorem. coargui non vult et in male coeptis honestior illi pertinacia videtur quam paenitentia* . . . .

19, 1: *habet, inquam iracundia hoc mali: non vult regi. irascitur veritati ipsi, si contra voluntatem suam adparuit* . . . .

III, 29, 2: *deinde, quamvis vana nos concitaverint, perseveramus, ne videamur coepisse sine causa. et quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas irae. retinemus illam et augemus, quasi argumentum sit iuste irascentis graviter irasci.*

restant complura alia quae etsi per se si accipis parum probant, tamen si illis gravioribus adnectuntur, non prorsus abicienda videntur:

II, 16, 3: *simplicissimi, inquit, omnium habentur iracundi. fraudulentis enim et versutis comparantur et simplices videntur, quia expositi sunt. quos quidem non simplices dixerim, sed incautos. stultis, luxuriosis nepotibusque hoc nomen inponimus et omnibus vitiis parum callidis* . . .

III, 4, 5: *non vis admoneam* . . . . *alia animi mala ad pessimos quosque pertinere, iracundia etiam eruditis hominibus et in alia sanis inrepere? adeo ut quidam simplicitatis indicium iracundiam dicant et volgo credatur facillimus quisque huic obnoxius* . . .

pusilla certe haec sunt:

II, 30, 2: . . . *malus* (vir est qui iniuriam fecit): *noli*

III, 5, 6: *praeterea ira* . . . . *dat poenas dum exigit.*

mirari, dabit poenas alteri quas debet tibi, et iam sibi dedit qui peccavit.

26, 2: . . . *maxima est enim factae iniuriae poena fecisse, nec quisquam gravius adficitur quam qui ad supplicium paenitentiae traditur.*

deinde:

I, 5, 2: . . . . *(ira) vult etiam carissimos perdere.*

III, 3, 3, *(ira): saevit carissimorum eorumque quae mox amissa fleturus est carnifex?*

sic barbaros utpote natura fervidos et iracundos sibi ipsos exitio fieri fuse exponit I, 11 (quem locum supra p. 16 attulimus), tum III, 2, 6: *hic barbaris forte ruentibus in bella exitus est. cum mobiles animos species iniuriae perculit, aguntur statim et qua dolor traxit ruinae modo legionibus incidunt incompositi interriti incauti pericula adpetentes sua. gaudent feriri et instare ferro et tela corpore urgere et per suum volnus exire.*

eae repetitiones paullo insigniores quae ita comparatae sunt ut nonnisi inter priores libros intercedant, et multo pauciores sunt numero et multo minoris momenti:

I, 12, 6: . . . *nam et febres quaedam genera valetudinis levant, nec ideo non ex toto illis caruisse melius est* . . .

II, 11, 2 (in eodem contextu) . . . *et quid? non timetur febris, podagra, ulcus malum? numquid ideo quicquam in istis boni est?* . . .

I, 19, 7: . . . *nam ut Plato ait, nemo prudens punit quia peccatum est, sed ne peccetur. revocari enim praeterita non possunt, futura prohibentur* . .

II, 31, 8: . . . *ergo ne homini quidem nocebimus, quia peccavit, sed ne peccet, nec unquam ad praeteritum, sed ad futurum poena referetur* . . .

si benignior esse voles, talia etiam in comparationem vocare poteris: I, 11, 2: *gladiatores quoque ars tuetur, ira*

denudat . . et II, 14, 3: *Pyrrhum maximum praeceptorem certaminis gymnici solitum aiunt . . . . . . praecipere, ne irascerentur. ira enim perturbat artem et qua noceat tantum adspicit* . . sed haec leviuscula atque adeo nihili: molestius quod contra Peripateticos disputatur I, 14 primum brevi capite:

(1) *non potest, inquit, fieri Theophrastus, ut non vir bonus irascatur malis. isto modo quo melior quisque, ita iracundior erit* . . . (2) *peccantis vero quid habet cur oderit, cum error illos in eiusmodi delicta compellat?* . . . *neque enim aequus iudex aliam de sua, aliam de aliena causa sententiam fert.* (3) *nemo inquam, invenietur qui se possit absolvere.* . . .

tum a II, 6: quinque tota capita sese excipientia eidem rei impenduntur:

6, 1: *virtus, inquit, ut honestis rebus propitia est, ita turpibus irata esse debet.* . . . (4) *nam aut (sapiens) iniquus erit, si aequaliter irascetur delictis inaequalibus, aut iracundissimus, si totiens excanduerit, quotiens iram scelera meruerint.*

9, 4: *si tantum irasci vis sapientem quantum scelerum indignitas exigit, non irascendum illi, sed insaniendum est.* . . .

10, 1: *illud potius cogitabis non esse irascendum erroribus.* . . . (6) *non irascetur sapiens peccantibus* . . . . *etc. etc.*

II.

Quid igitur omnibus his iteratis in unum collatis proficimus? hoc, puto, quod intelleximus Senecam ipsum, cum hos tres libros conscriberet, a prima origine certum quoddam consilium secutum res argumentaque totiens repetita disponere non potuisse. supra negaveramus partitiones illas duas unius eiusdemque argumenti ac tractationis, atque alteram quidem tenuioris bipertitam, tripertitam amplioris alteram, in uno eodemque opere iuxta sese locum habere posse: quid igitur? complures recensiones probabiliter agnovisse nobis videmur. ad quam quaestionem, quoad eius fieri potest, profligandam

ante omnia opus est, horum librorum dispositione satius accurate examinata ordinem praecipue atque nexus sententiarum percensere, si forte vestigia quaedam redactoris alicuius vel interpolatoris vel contaminatoris deprendere possimus.

atque primus liber, si id praesumere licet, vix quicquam offensionis gravioris praebet. quem constat inde a 2, 4 demum in codicibus suo nexu continuatum tradi. scilicet initium usque ad verba *capitis dampna* in vetustissimo codice A in *pagina adversa folii antecedentis quam vacuam reliquerat manus prior, a manu Longobardica illa quidem, sed multo recentiore* additum est (Koch, praef. p. XV). nihil est quod hoc exordium eiusdem libri esse negemus. Seneca scripturus *quemadmodum possit ira leniri* primo capite foeditatem, secundo perniciosos eventus irae oculis proponit; 2, 4 post lacunam iam in defendenda definitione sua refellendisque adversariis versatur. quantum exciderit dici nequit: illud in propatulo est scriptorem de definitionibus irae egisse (cf. 3, 2: *primum diximus cupiditatem esse pœnae exigendae . . . .*). quae de hac lacuna statuere possumus, debemus Lactantio, d. ira Dei 17, 13: cuius verba post 2, 4 ut Annaeana inserere recte Haase non dubitavit. e more suo Seneca quippe de suo nihil promens hic plures*) definitiones, summorum Stoicorum scilicet, dedit. praeterea non ita multa deesse suspiceris: certe in talibus rebus mere speculativis quas nos dicimus non nimius esse Seneca solet, profusus contra in morali declamationum genere.

sed videamus porro. adnectuntur quaestiones, an in feras ira cadat (c. 3), quo distet ab iracundia, quot eius species sint (4), an secundum hominis naturam sit (5); tum per totum fere reliquum librum *an utilis atque ex parte aliqua retinenda* (5, 1). de quo sic disputatur: a castigatore iram alienam esse debere (6), non utilem esse ne in bello quidem ideoque funditus evellendam (haec maxime contra Aristotelem, c. 9), alia

---

*) cf. de clem. II. 3, 1: *plura proponere tutius est, ne una finitio parum rem comprehendat et ut ita dicam, formula excidat.* videas insuper de vit. beat. 4, 1.

huius notae (usque ad c. 10). tum (11) id premitur adversus hostes iram non necessariam esse, immo perniciosam; Theophrastus redarguitur dicens viros bonos irasci pro suorum iniuriis (12), exponitur quo maior sit eo peiorem esse iram, ergo omnino non admittendam (13). c. 14 rursus contra Theophrastum disputatur bonos non irasci malis. deinde (15, 16) ad id reflectitur quod iam c. 6 confectum esse putares: punire oportere sine ira.

6, 1: *non aliquando castigatio necessaria est? quidni? sed haec sine ira, cum ratione. non enim nocet, sed medetur specie nocendi* . . . .

15, 1: *corrigendus est itaque qui peccat, et admonitione et vi . . . meliorque . . . faciendus non sine castigatione, sed sine ira. quis enim cui medetur irascitur?* . . .

item gradus certi peccatorum pœnarumque distinguuntur imagine a medicina deprompta:

6, 2: *nempe medicus primo in levibus vitiis temptat non multum . . . inflectere . . . proximum est ut modus proficiat. si . . . si . . . si . . .* (3) *ita legum praesidem civitatisque rectorem decet, quamdiu potest, verbis . . . ingenia curare, ... transeat deinde ad tristiorem orationem . . . . novissime ad poenas leves decurrat . . . . ultima supplicia sceleribus ultimis ponat* . . .

16, 1: . . . *omne poenae genus remedi loco admoveo. tu adhuc in prima parte versaris errorum . . . .: obiurgatio . . . te emendare temptabit . . . . tu longius iam processisti quam ut possis verbis sanari: ignominia contineberis. tibi fortius aliquid . . . inurendum est: in exilium . . . mitteris. in te duriora remedia iam solida nequitia desiderat . . . .* (3) *tibi insanabilis animus et sceleribus scelera contexens . . . per tua alienaque volutata supplicia id quod unum tibi bonum superest praesentabimus, mortem.*

in cap. 17 scriptor contra Aristotelem denuo exponit *adfectus non pro armis esse* debere quae eodem fere pertinent atque ea quae capp. 7—9 dixerat; cf.

9, 1: . . . (virtus) *in quantum putavit opus esse concitatur remittiturque, non aliter quam quae tormentis exprimuntur tela in potestate mittentis sunt in quantum torqueantur* . .

17, 1: . . . *quod* (Aristotelis dictum) *verum foret, si velut bellica instrumenta sumi deponique possent induentis arbitrio* . . . (2) *satis nos instruxit ratione natura. hoc dedit telum firmum* . . . *obsequens nec anceps nec quod in dominum remitti posset* . . .

denique in fine libri prolixe fuseque iram infra hominis naturam rationalem, immo ei infestum damnosamque esse (19) nihilque magni, nihil nobile (20, 21) in se habere disserit. — quae omnia etsi saepius non sine ambagibus nimisque saepe laxe disputata sunt, nihil est quod neges hunc librum qualem nunc tenemus, talem a Seneca conscriptum esse, praesertim cum reputes eum inter longe antiquissima eius scripta, certe eorum quae extant, referendum esse. una etiam res quamvis parvola ne omittatur, c. 8, 4 ante verba: *denique interrogo* . . . alterum membrum dilemmatis, si nihil aliud, excidit, ut vidit Haase. cetera igitur bona aut certe tolerabilia.

longe aliter res se habet in altero libro*). quaerit Seneca *ira utrum iudicio an impetu incipiat* (1, 1 sqq.) acriore disputatione instituta de iis quae supra (I, 8, 2, 3) breviter

*) gaudeo quod Gertzius in editione sua commentum Kochianum: *facilis enim in proclivi vehiculorum decursus est*, ut decet, explodit. — ceteroquin dignum quod hic conferatur est initium libri extremi de beneficiis, quoniam (1, 2) *quicquid maxime necessarium erat, in primum* (opus) *congessit* scriptor, *nec nimis*, pergit, *ad rem existimo pertinere, ubi dicta sunt quae regunt mores, persequi cetera non in remedium animi sed in exercitationem ingenii inventa.* sic *exhausta materia* (§ 1) ad exiliora venit, *quemadmodum possit aliquis donare sapienti, si omnia sapientis sunt,* (c. 4), *an qui omnia fecit, ut beneficium redderet, reddiderit* (c. 14), *quemadmodum ingrati ferendi sint* (26), alia.

tantum strinxerat. *ut sciamus quid sit ira* (2, 1) affectuum initia et gradus tres docte exponit (cc. 3 et 4). atque apparet, ut Lipsius vidit, finem capitis quarti mutilum esse; deest ad minimum *tertii motus* descriptio, *impetus iam impotentis*.

in cap. 5 quo distet a feritate ira et crudelitate disseritur, cuius in fine Ruhkopf suo iure aliquid desiderat; hoc recte, nam talis transitus abruptus qualis a cap. 5 ad insequentem materiam eamque nequaquam novam non offendere non potest; sed ceterum acquiescit, cum nobis gravissima menda altius se insinuasse videantur.

in cap. 6 igitur usque ad decimum prorsus alia quaestio eaque inopinata nos occupat, num *virtus turpibus rebus irata esse debeat.* atque de hac re iam supra egimus. deinceps (c. 11 et 12) quod disputatur iram neque utilem esse neque inevitabilem (12, 1), quod Germanorum Scytharumque et magnarum ferarum exemplis non creditur generosae indolis iram esse (15, 16) nonne haec omnia iam satis in primo libro (capp. 7, 9, 14—11, 20, 21) Annaeus attigerat? attigerat sane, sed brevius, sed non eadem ratione, sed paullo aliter deflexa. quid igitur? in talibus rebus gravius vix offendemus, sed satius erit talia scriptori tunc admodum iuveni et a rhetorum scholis recentiori condonare.

graviora sequentur. inde a cap. 18 pars altera huius operis, quasi practica vel exhortativa, initium capit. Seneca ad remedia irae accedens, ut totiens iam commemoravimus, duo esse docet, (18, 1) *ne incidamus in iram et ne in ira peccemus*... *ut vitemus quaedam ad universam vitam pertinentia* praecipiuntur, primum de educandis liberis (19—21), deinde de sequentibus temporibus ordinandis (inde a c. 22). quae de his disputantur, aliquantisper continuo filo bene deducuntur. disseritur (22—24) de damnis e falsis suspicionibus ac credulitate nascentibus, de exacerbatione propter vilissimas res (25), de iis a quibus ne accipere quidem iniuriam possumus, et de iis a quibus possumus (26, 27), de aequitate adhibenda (28), de mora maximo irae remedio (29, 30).

haerebis demum in initio cap. 31: *duo sunt, ut dixi, quae iracundiam concitant: primum, si iniuriam videmur accepisse.*

de hoc satis dictum est. deinde, si inique accepisse. de hoc dicendum est . . . . sic inter iniuriam et iniqua in iis quae tenemus nusquam distinxit. huius discriminis mentionem est quod II, 22 excidisse conicias, fortasse etiam post I, 2, 3. haud raro oratio laxe tantum cohaeret. sciri nequit.

sed vehementer commovearis necesse est cum caput insequens legas hunc in modum incipiens: *at enim ira habet aliquam voluptatem et dulce est dolorem reddere. minime. non enim* . . . nonne iam rursus disputationem theoreticam audire tibi videris? ita est. aperte et in his et in eis quae subsequuntur cum adversario dialectico Senecae res est. omnem dubitationem si qua remansit eximit exordium cap. 33: *minus inquit, contemnemur, si vindicaverimus iniuriam* . . . . *non quasi dulce sit vindicari, sed quasi utile* . . . . quid? nonne indignaris quandoque bonus Seneca sic dormitat, quippe qui cap. 11 eiusdem libri, ut de primo libro omnino taceam, ita incipiat: *utilis, est, inquit, ira, quia contemptum effugit, quia malos terret* . . .? porro conferas comprehensiones has duas simillimas:

c. 34 *ergo ira abstinendum est sive par est* . . . . *sive* . . . *sive* . . .	c. 14 *nunquam itaque iracundia admittenda est.* . . . .

quis hic non videt inde a c. 32 non iam de remediis agi quibus ira vel repellatur vel compescatur, sed de illa re totiens decantata, utrum ira omnino admittenda sit necne? quis est iste ordo nexusque sententiarum?

conferas modo haec:

c. 32 *at enim ira habet* . . . *voluptatem.*	c. 11 *utitilis est, inquit, ira* . . . . c. 12 *nequitia, inquit,* . . . . *tollenda est.* c. 15 *ut scias, inquit, iram habere* . . . *generosi aliquid.*
c. 33 *minus, inquit, contemnemur.*	c. 16, 1 *animalia, inquit, generosissima habentur* . . . § 2. *simplicissimi, inquit, omnium habentur iracundi.* 17, 1 *orator, inquit, iratus* . . *melior est* 17, 2 *languidus, inquit,* . . . *ira caret.*

cum igitur res sic se habeat ut cap. 30 et ea quae antecedunt partis prioris paraeneticae sint, capp. 32, 33, 34 partis posterioris theoreticae, quaeri potest an certe dici queat ub quae hic suum locum habent et ea quae hic aliena sunt, inter se contingant. res valde lubrica est neque ad vivum resecari patitur: tamen vide ne capp. 31—33 ut aliunde arcessita integra exsecanda sint. quamquam perfacile quoque fieri potuit ut Seneca ipse ardore ac studio suo abreptus priora illa recoqueret.*)

etiam quae post cap. 34 supersunt duo capita extrema iterum irae *deformitatem, deinde periculum* ante oculos ponentia (35, 3) utrum ad exhortationem pertineant necne, pro certo ego disceptare non ausim. potes enim talia persequi et ut doceas et ut horteris. videntur tamen capp. 34—36 tanquam epilogus suum locum hic habere (cf. in initio 34, 1 gravem hanc comprehensionem: *ergo ira abstinendum est* ...). equidem ἐπέχω, hoc uno satis contentus si statum huius libri gravius perturbatum esse evicero lacunis interpositis molestis iteratis occurrentibus sententiarum nexu saepe dirupto.

atque de altero libro hactenus. restat ille liber tertius de quo breviores esse poterimus. omnino de integro disputa-

*) hoc dixeris finem capitis 31 ad dogmaticam certe spectare; cf. quod iam supra attulimus (§ 8) . . . *ergo ne homini quidem nocebimus quia peccavit, sed ne peccet, nec unquam ad praeteritum, sed ad futurum poena referetur. non enim irascitur sed cavet* . . . etc. cum I, 19, 7. — itaque aut ab ineunte aut a medio capite filum interrumpitur. atque initium quidem fortasse etiam exhortativum est, quo iubemur cavere ne inopinatis rebus per ignorantiam aut per insolentiam in iram intrudamur. erat quod in medio hoc capite suturam ut ita dicam qua haec tantum inter se discrepantia conglutinata essent, deprendisse mihi viderer; quam statuebam ante verba (§ 6): *illud ante omnia cogita foedam esse et execrabilem vim nocendi et alienissimam homini* . . . . quae verba ut mirum in modum discrepant ab iis quae proxime antea dicta sunt, ita insigniter coeunt cum I, 5, 2, ut transitus inter has cogitationes diversas, si modo est, satis abruptus sit et formis tantum imperativis copulans: § 4: *omnia puta, expecta* . . . . *(5) de publicis cogita* . . . . *semper* . . . . *futurum aliquid* . . . . *existima* . . . . *(6) illud ante omnia cogita* . . . *adspice taurorum iuga* . . . . sed de his rebus iudicium, si non admodum hariolatio, tamen prorsus dubium est.

tionem suam instituens Seneca repetita irae descriptione, repetitis quae totiens antea Aristoteli obverterat de irae quae dicatur utilitate c. 5, 2 tripertitam illam dispositionem argumenti profert. cuius primam partem *(sed cum primum sit non irasci . . .)* clare distincteque persequitur statim inde a 5, 3: *ne irascamur praestabimus, si omnia vitia irae nobis subinde proposuerimus . . .;* tertiam *(alienae quoque irae mederi)* disertis verbis inde a cap. 39: *contigit iam nobis, Novate, bene componere animum: aut non sentit iracundiam aut superior est: videamus quomodo alienam iram leniamus: nec enim sani esse tantum volumus, sed sanare.* initium alterius partis accurate distinctum *(quemadmodum nos ab ira liberemus)* nequicquam quaeres. nec fortasse hoc ita mirum: nam sive operam des ne omnino in iram incidas sive ut te revoces iam iratum, eadem fere observanda tibi sunt. Ruhkopfio quidem altera pars a 12, 2: *(aliquid aetas peccantis facit, aliquid fortuna . . .)* incipere videbatur. atque quanquam paragraphum sic premere nolim, verba (§ 4): *atqui maximum remedium irae dilatio est ut primus eius fervor relanguescat . . .* ad partem alteram sine dubio spectant, item Platonis exemplum a se ipso poenas irae exigentis (5), item Socratis: c. 13: *in Socrate irae signum erat vocem summittere, loqui parcius. apparebat tunc illum sibi obstare . . .**) atque rursus caput antecedens ad primam partem pertinet quippe cuius principium: *non expedit omnia videre, omnia audire . . .* conspiret cum iis quae inde a capp. 6—9 secundum Democritum contra *πολυπραγμοσύνην* disputata erant: (6, 3) *proderit nobis illud Democriti salutare praeceptum quo monstratur tranquillitas, si neque privatim neque publice multa aut maiora viribus nostris egerimus.* principium partis alterius certe vix indicari poterit; nam caput decimum huic proxime antecedens quo iubemur *ad primum mali sensum mederi nobis* (§ 1) et *adfectus nostros, cum primum oriuntur, deprehendere* iure tuo iam alteri parti

---

*) cf. insuper Plut. *π. ἀοργησίας* c. 4, ubi aeque commendatur *τὸ ἐπισχεῖν* et *τὸ καταπαῦσαι: ὁ Σωκράτης ὁσάκις αἴσθοιτο κινουμένου τραχύτερον ἑαυτοῦ, ἐνεδίδου τῇ φωνῇ . . . .*

vindicaveris arbitratus si de *morbi praenuntiis* (2) agatur, agi iam de eo quomodo, si in ira sumus, ab ea nos liberemus et irasci desinamus. fortasse etiam si conclusionem hanc legis (§ 4): *scire itaque oportet quid in te imbecillum sit ut id maxime protegas* illa omnia pro praeceptis mere prophylacticis, ut hoc verbo utar, habebis et ad primam partem pertinentibus. itaque haec in medio relinquere praestat quae an scriptor accurate distinguere noluerit nescimus.

sed utut hoc est (tota enim quaestio hic leviuscula), excipit cap. 14 longam seriem exemplorum et eorum quae vitanda sint (usque ad 21) et eorum quae imitanda (— 23).

aeque deinceps filo perpetuo aliae deducuntur monitiones ad iram reprimendam, velut nobilius esse iram vincere quam ab ea abripi (25), satius esse iniuriam sanare quam ulcisci (27, 1), facile initia perspici quam levia sint, quam innoxia (30), importunitatem invidias querelas tollenda, firmitatem appetendam esse (—38). —

de parte ultima quinque tantum capita superesse constat atque inter verba cap. 41, 1: *nisi maius aliquid extimuit* et (2) *pacem demus animo,* ut Lipsius primus intellexit, sententiam intolerabiliter hiare. *) nam inde a 42, 2 nihil iam de eo quomodo alienam iram leniamus exponitur, sed rursus quomodo ipsi sani simus: admonemur ut pacem demus animo, ut careamus hoc malo . . . . neque iram temperemus, sed ex toto removeamus (42) — quippe quae nihil utile (!) in se habeat (41) —, potissimum cogitatione mortalitatis (— 43). sine dubio inde a 41, 2 in conclusione totius commentationis versamur: ante quam Lipsius suo iure lacunam statuit.

III.

Percensuimus hos tres libros atque nexum sententiarum in altero maxime libro perturbatum esse vidimus, in ceteris non item. itaque cum in medio hoc opere de ira, i. e. in libro altero, multa nobis occurrant, quae mutila sunt, quae luxata, quae adeo non inter se cohaerent ut aperte inter se

*) licet editori novissimo non ita videatur.

repugnent, rursus sub finem, i. e. in libro tertio, quae intolerabilem in modum iterant atque ad taedium usque iam dicta repetunt: magis etiamnunc hac quaestione instituta perdifficile fit ad intellegendum quomodo hi tres libri de ira, ut nunc sunt, sic a Seneca redacti esse possint. habes plures recensiones: illud verum, sed eas dignoscere res spinosa.

de fatis quae tulerunt Annaei scripta parum adhuc constat. concessum est commentationem de ira inter prima*) eius opera conscriptam esse atque cum sine dubio mox postea publici iuris facta esset auctori suo ut elegantia insignem multum laudis attulisse. post mortem Senecae vero perfacile fieri potuit ut cum editio postuma eius operum pararetur, ab eo vel eis qui huic negotio praeerant, hominibus scilicet Senecae studiosissimis, ex schedis eius in scriniis relictis plures de eodem argumento scriptiones et recensiones, ne immerito perirent, adicerentur et cum ceteris, quoad eius fieri posset, in unum conflarentur. ita condicio horum librorum prorsus eadem ratione explicaretur qua historiarum Herodoteae et Thucydideae, scriptorum Aristotelicorum, carminis Lucretiani, Ovidii metamorphoseon, aliorum**).

atque scimus Senecam cum altero p. Chr. n. saeculo minus probaretur postea mox hominibus Christianis potissimum, quippe quem unum ex suis facere non dubitarent, in deliciis fuisse studiosissimeque lectum et per longa saecula scholis tritum esse: sic mala omnis generis irrepere potuisse vel dicam necesse fuisse unusquisque videt.

quae explicatio multa habet quibus commendetur. et redigendi vel contaminandi vestigia quaedam extare concedes***).

---

*) cf. Jonas, de ordine libror. Senecae philos. Berl. 1870.

**) hoc me monuit Maass, quem videas de Ovidio in indice lectt. Gryph. aest. 1886. VI, p. XX.

***) certe si quid sapio illud *nunc* in exordio libri tertii, in quo supra haerebamus, hoc uno modo expedietur: *quod maxime desiderasti, Novate, nunc facere temptabimus, iram excidere animis aut certe refrenare* . . — ut nunc libri hi comparati sunt, hoc *nunc* absurdum est: satis superque enim, ut supra monuimus, in altera parte libri antecedentis illud iam fecit quod nunc in initio tertii demum facere Seneca proponit, multa iam dicta disputata monita sunt de ira et excidenda et refrenanda. sed si [illegible]

velim perpendas haec:

III, 3, 1: *atqui, ut in prioribus libris dixi, stat Aristoteles defensor irae et vetat illam nobis exsecari: calcar ait esse virtutis . . .*

et 4, 1: . . . *nulli . . adfectui peior est voltus quem in prioribus libris descripsimus asperum et acrem . .*

manifestum est his tribus locis tertium librum ad plures autecedentes diserte respicere. at persaepe, ubi idem iure tuo expectares, non respicit. apparet igitur eum qui hos libros redigebat, quisquis fuit, certum consilium secutum his tantum locis in initio libri tertii positis talem mentionem quasi fibulam infigere voluisse qua (quanquam levissime) librum tertium cum superioribus connecteret.

quae res quo magis perspicua fiat, age breviter iam indicemus quinam tertii libri loci graviores cum antecedentibus paribus vel similibus maxime concinant.

III.	II.	I.	
1, 5	36, 6		de vi repentina irae.
3, 1	13, 1	9, 1;—17, 2	contra i. defensores, maxime Aristotelem.
3, 3	36, 6	5, 2	carissimos i. perdit.
3, 6		2, 1—3	effectus et apparatus.
4, 1—3	35, 3-6	1, 3—6	descriptiones irae.
4, 5	16, 3		simplices iracundi sunt.
5, 2	18, 1		partitiones argumenti.
5, 6	31, 6	5, 2	i. contra hominis naturam est.
5, 8	34, 1		nec potentiori nec imbecilliori irascendum.
6, 1		20	i. non cadit in magnanimum.
7, 2	19		i. pendet e mixtura elementorum (de temperamento).
8, 3	31, 6		feras quoque humano convictu mansuescere.
9, 2	2, 4		lituos et tubas concitamenta i. esse.

---

tertium librum olim cum eo qui eum nunc antecedit, non coniunctum fuisse: omnia plana fiunt.

III.	II.	I.	
9, 3—5	19, 4, 5	20, 3, 13, 5	imbecillos et lassos irae obnoxios.
9, 5	25, 1		animus affectus minimis offenditur.
(10, 1	22, 2		contra primas causas pugnandum).
12, 1, 2	24, 1		plurimum mali credulitas facit.
ibd. § 3	28		de iniqua sui aestimatione.
„ § 4	29		mora irae optimum remedium.
„ § 6	15, 3		de Platone idem fere narratur quod de Socrate.
13, 7 (16, 2)	33, 1		potentiorum iniuriae quomodo ferendae.
		sequuntur	exempla.
14 et 15			Praexaspis, Harpagi.
	33, 3—6		Pastoris..
tum inde a c. 17—23 continua series exemplorum in III.			
24, 3	30		pueri feminae servi etc. quomodo irato excusandi sint.
25, 3	32, 3		immanis fera latratum canum non curat.
26, 2	30, 2		iniuria poenam in se habet.
26, 4, 5	7—10 28, 1	14	omnes mali sumus.
28, 3	36, 4		multis ira per se nocuit.
28, 4, 5	28, 5, 6 (22, 4)		animus offendentis intuendus, non factum; causa absentis agenda.
29, 2		18, 2, 3 19, 1	de pertinacia irae.
30, 1, 2	24		suspiciones et frivolae res irae causae.
[30, 1	11, 4—6		fera ac rabida consternantur ad vana].
31, 1	27, 1, 2 28, 4		dis quoque irascimur.

III.	II.	I.	
34 —37	24 26, 4—6		de contumeliis molestiis vilibus etc.
(34, 1	26, 5		de equis contumacibus).
35—36, 1	25	(12, 4)	dure tractandus animus ne deliciis diffluat.
38, 2	32, 2		Cato percussus et consputatus.
41, 3, 4	11 17, 2 33, 1	7—13	iram nec nobile nec utile quicquam habere.
42, 1		7, 8, 10, 13, 17	i. radicitus exstirpandam, malam rem non temperandam . . . . .

hic conspectus, puto, illud extra omnem dubitationem ponit librum tertium tantopere tamque crebro in argumentis et rebus cum secundo libro maximeque eius altera parte convenire, ut paene totus scriptio integra esse videatur, liber secundus altera. atque si id in memoriam tibi revocas tertium librum aeque ac secundi libri alteram partem de remediis irae dedita opera agere, facile intellegitur cur tam multo parciores similitudines inter tertium et primum librum intercedant. nimirum primus liber nonnisi dogmaticis quas dicunt quaestionibus datus est, quas scriptor in extremo libro quo omnia ad usum vitae potissimum revocat, obiter stringit.

vide igitur ne liber tertius a prima origine peculiaris atque in se absolutus libellus fuisse cogitari possit.

si per casum infelicem factum esset ut Johannis Stobæi florilegium aut totum aut certe ab initio usque ad titulum vigesimum nobis ereptum esset, nemini, opinor, ne in mentem quidem veniret Plutarchum praeter illum libellum περὶ ἀοργησίας quod integrum exstat, etiam alterum librum de ira scripsisse, περὶ ὀργῆς. de indole ac condicione huius libri περὶ ὀργῆς ex parvo illo fragmento apud Stobæum servato parum discere licet: tamen quia aliquid discriminis inter illud scriptum de-

perditum et hoc quod tenemus intercesserit necesse est atque Plutarchus eo libro quem scripsit περὶ ἀοργησίας mera ad iram cohibendam praecepta complura dat de natura et origine aliisve quaestionibus theoreticis nihil accuratius disserens, admodum probabile est talibus disputationibus eum alterum scriptum περὶ ὀργῆς vel totum vel per partes replevisse. — iam vero quidni cogitari possit Annaeum quoque idem argumentum de ira bis atque diversis quidem modis tractavisse, altero fusiore atque ampliore, ita ut exordiretur ab iis quae a Stoicis quaererentur de ira atque proferrentur placita, tum ad remedia eius accederet; altero breviore, ut missis his quaestionibus *in exercitationem ingenii* inventis ad usum vitae omnia referens id unum *facere temptaret, iram excidere animis aut certe refrenare et impetus eius inhibere.* *)

atque etiam longius fortasse progredi nobis licet. quae adhuc de his libris disputavimus, semper sic egimus, quasi positum ac concessum sit nonnisi ad legendum eos fuisse destinatos: quid? si Senecam a prima origine eo consilio eos composuisse sumimus ut coram auditoribus recitaret? **) scimus morem recitandi tunc temporis quam maxime viguisse, ***) cui, si quemquam, Senecam inservivisse certo certius est. quo modo si huius operis condicionem considerabis, longe plurima quae hucusque ut nimis laxe fuseque disputata nos offenderunt perturbaruntque dissipabuntur: rationibus scilicet rhetoricis expedientur. recitatorem enim non tam severis

*) certe simul una difficultas sic expediatur: quinam factum sit ut hos tres libros de ira iis scriptis Senecae minoribus, quibus codicis optimi auctoritate *dialogos* nomen imponimus, insertos legamus, cum opera maiora, de clementia de beneficiis, separatim tradantur. *dialogi* omnes singulis libris continentur, exceptis solis his tribus de ira libris. quid? si tibi fingis quo loco nunc tres libros habemus, ibi a prima origine unum tantum, libellum ex. gr. *de ira excidenda,* nimirum tertium librum nostrum fuisse: postea vero alterum illud amplius opus et dogmaticum et paraeneticum, quod ex pluribus libris constabat, propter argumenti similitudinem cum μονοβίβλῳ coniunctum atque ei praefixum quidem esse? cf. quae in fine addidi.

**) hoc nuper mihi suppeditavit Kiessling.

***) cf. Friedlaender, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms III p. 317 sqq.

legibus adstringi quam eum qui scribit quis non videt? *) itaque rem nobis sic fingamus: bis recitavisse Senecam de ira modo uberius, tum**) brevius; deinde vero cum ea quae coronae plausum excitaverant edere pararet ut Novato mitteret, neutram recitationem abiecisse, sed breviorem maiori adiunxisse ita tamen ut pauca rescriberet, velut in eius exordio interpositis illis quae supra enotavimus *ut in prioribus libris dixi* (3, 1) et *quem in prioribus libris descripsimus* . . . . (4, 1) arctius vinculum cum antecedentibus connecteret. sic haec verba Senecae ipsi vindicari possunt.

verum enimvero in tali re certi quicquam probare nequeo nec fortasse unquam afferre licebit. neque hoc nobis sumimus ut omnes huius rei difficultates expediamus: nos si id extra omnem dubitationem posuerimus in his tribus locis de ira plures exstare recensiones earumque unam complecti totum fere librum tertium, satis erimus contenti.

IV.

denique paucula coniectanea promam, *αἴ κε τύχωμι.*

dial. I. de providentia 5, 10. Seneca tanquam exemplar *boni viri cui aliqua incommoda accidant,* Phaethontem inducit:

---

*) apte hic conferentur quae Wilamowitzius de Telete disseruit, Antig. v. Cary st. p. 307 sqq.

**) certe III, 25, 3: *illud non veniet in dubium, quin se exemerit turbae et altius steterit quisquis despexit lacessentis: proprium est magnitudinis verae non sentire percussum. sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit,* ut me monet Kiessling, tum demum recte ponderabis, si referes ea ad II, 32, 2: *M. Catonem in balineo quidam percussit imprudens: quis enim illi sciens faceret iniuriam? postea satisfacienti Cato, non memini, inquit, me percussum. melius putavit non agnoscere quam vindicare* . . . . (3) . . . *magni animi est iniurias despicere* . . . *ille magnus et nobilis qui more magnae ferae latratus minutorum canum securus exaudit.* scilicet cum haec verba conscriberet *non sentire percussum*, ut luce clarius est, animo auctoris illa de Catone percusso narratiuncula obversabatur. ob eandem rem etiam III, 25 illud de fera canibus circumlatrata adiectum est.

ardua prima via est et quam vix mane recentes
enituntur equi . . . . . . etc.
. . . .
. . . . Tethys solet ima vereri.

haec cum audisset ille generosus adulescens, placet, inquit, via; escendo. est tanti per ista ire casuro. non desinit acrem animum metu territare:

utque viam teneas nulloque errore traharis
. . . . violentique ora leonis.

post haec ait: iunge datos currus. his quibus deterreri me putas, incitor . . . .

maxime hic obscurat orationem immutatio subiectorum non indicata. quis *non desinit acrem animum metu territare?* nempe Sol; hoc ferendum, unusquisque enim hoc perfacile subintellegit. sed quis *post haec ait: iunge datos currus?* anne iterum Sol? minime, immo Phaethon: hoc meo quidem iudicio ferri nequit. duae medelae sese offerunt ad locum hunc expediendum: aut supplebis subiectum verbi *desinit*, quod ita optime fiet ut ante vocem *acrem* adicias *alter* vel *pater*;*) aut quod paullo artificiosius est — erat cum mihi magis arrideret — scribes leniter immutans:

non sinit acrem animum metu territari:

— sic idem subiectum remaneret.

II. de constantia sapientis c. 12, 1 ubi legitur: *quem animum nos adversus pueros habemus, hunc sapiens adversus omnes, quibus etiam post iuventam canosque puerilitas est*, offendit me hoc *post canosque*, quasi vero post *canos* albi veniant. at qui incanuerunt, iam senes facti sunt: equidem suspicor sic scriptum fuisse: *quibus etiam post iuventam canisque puerilitas est.*

ceterum ibid. 14, 4: *non respicit quid homines turpe iudicent aut miserum* Gertz pro *homines* errore scripsit *omnes, pervulgatum errorem* removere sibi visus. ait enim et paullo ante legi: *nihil . . . . ita videri sapienti ut omnibus*, et paullo post: *adversus opinionem omnium vadit.* miror hanc

*) **hoc probavit Kiessling.**

argumentationem: immo hanc ipsam ob causam Senecam paene coactum fuisse contendo variato verbo cum primum et tertium poneret *omnes*, altero loco aliud usurpare. licet enim IX, 16, 3 *omnes effugisti casus* . . . optime Gertz *omnes* ex *homines* effecerit, nostro loco si *homines* non esset traditum, restituerem.

III. de ira I, 8, 1 . . *si* (ira) *coepit ferre transversos, difficilis ad salutem recursus est, quoniam nihil rationis est, ubi semel adfectus inductus est iusque illi aliquod voluntate nostra datum est* . . . a Senecae elegantia admodum quater positum hoc *est* abhorrere videtur. nonne tertio loco, ubi libentissime eo careas, a librario quodam oscitante invectum sit?

VI. ad Marciam de consolatione c. 11, 1 sic legitur secundum codicem Ambrosianum: *quae deinde ista suae**) *publicaeque condicionis oblivio est? mortalis nata es, mortales peperisti. putre ipsa fluidumque corpus et causis morbos repetita sperasti tam imbecilla materia solida et aeterna gestasse?* . . . verba *causis morbos* aperte corrupta sunt. Fickert Haase Gertz hunc locum ita sanandum censebant ut *morbos* tanquam interpretamenti causa adscriptum delerent. cui sententiae Madvig verissime obvertit primum mirum esse *morbos*, non *morbis* adscriptum esse, deinde, quod gravius esset, neminem in tali connexu sententiarum facile *causis* simpliciter pro *morbis* usurpare; neque enim Celsus vel Vegetius, sed Seneca in manibus est. itaque ex vocibus ambabus genuina lectio elicienda. Gronovius codicem aliquem secutus scripsit: *causis morbisque repetita*, quae etsi minus licenter quam quae antea placuerant *casibus morbisque:* nostra aetate sic emendare esset de emendatione desperare. Gertz *morbos* ortum esse putat cum terminatio genetivi pluralis detruncata esset (cuius rei in hoc potissimum libro plura exstant exempla, cf. insuper excursum criticum ad hunc locum in nova eius editione), ita quidem ut siglum, quo terminatio *rum* significatur, male intellectum litteram s gigneret, atque sic Senecam scripsisse: *et causis morborum repetita.* sed eiusmodi dicendi generis contorti nullum exemplum indagare potui neque ille ipse; nam

*) nihil est quod *suae* in *tuae* mutemus.

locus quem affert tanquam similem ep. 58, 24 huc nihil facit neque quae illo excursu addit persuadent. Madvig denique *morbo repetita* scripsisse Senecam putat et in *causis* latere *carnis*, atque hoc quidem ut mihi videtur optime et sagacissime, licet Gertzii iudicio otiosum sit. immo, quaero, quid illis *causis morborum* frigidius otiosius, quid his *carnis morbos* gravius acutius? Seneca quidem hanc vocem ab Epicuro depromptam cum de infirmitate generis humani declamat in deliciis habet. — non ita placent cetera Madvigiana *morbo repetita*; quia omnino *morbus repetit aliquem* vix significat *m. r. iterum atque iterum*, sed tantum *iterum* vel *denuo petit.* equidem igitur *morbos* intactum relinquere et mendum in voce *repetita* subodorari malim. conferas quaeso in hoc ipso libro sub finem c. 26, 7:

nos quoque felices animae et aeterna sortitae . . .;

porro de ira II, 28, 4: *at morbi doloresque incurrunt. utique aliquo defungendum est domicilium putre sortitis.*

ibd. III, 15, 3: . . . *necessaria ista est doloris refrenatio, utique hoc sortitis vitae genus . . . .*

ep. 120, 17: *at nos corpus tam putre sortiti nihilominus aeterna proponimus . . .:*

— non dubitabis, puto, quin noster locus sic refingendus sit:

putre ipsa fluidumque corpus et carnis morbos sortita) sperasti . . . . aeterna gestasse?*

scilicet labes inde initium cepit quod primae duae litterae vocis *sortita* propter similitudinem antecedentium corruptae sunt.

ibid. 12, 3: cod. A haec praebet: . . . . *iuvenis cito prudens, cito pius, cito maritus, cito pater, cito omnis officii curiosus, cito sacerdos, omnia tanquam propera? nulli fere et magna bona et diuturna contingunt . . . .* Haase et Fickert legere sibi videbantur *praepropera* et in hac lectione acquiescebant, quamquam omne ἦθος loci tollit. aut enim nimiae festinationis aut praecocitatis notionem infert ora-

---

*) **Kiessling, dum *sortita* probat, restituere mavult:**

ex carnis morbo sortita,

fortasse verius.

tioni, utrumque admodum importune, neque mitigantur haec addito *tanquam*. accedit aliud idque gravius: structura non ita plana est. si voce *omnia* nomina antecedentia *iuvenis prudens, maritus, pater, ... curiosus, sacerdos* comprehenduntur, apparet alteram *praepropera* adverbio *cito* totiens repetito respondere debere. itaque non *praepropera*, sed *praepropere* iure tuo expectabis. — quod veteres editores scripserunt *omnia tam propera*, praetereundum; hoc notandum, Kochium in contrariam partem luxuriare. cum enim illi satis temere quae eis non placebant reciderent, hic ita rem sibi finxit: *omnia tam praestantia quam propera . . . .* qui etsi laudandus est quod *propera* non *praepropera* in codice exstare monet, coniecturae audacia omnem probabilitatem excedit ac paene risum movet. tu scribes potius *omnia tanquam properans:* iam omnia optime se habebunt. Marciae filium scriptor significat totum cursum vitae quasi deorum beneficio cito peregisse, quippe qui ei iuveni cui faverent vellent per exiguum temporis spatium omnia ea bona contingere quae multis non per longam vitam et laboriosam. atque in hoc potissimum dialogo multo saepius quam in ceteris Senecae scriptis verborum fines mirum in modum mutilatos esse constat; cf. Madvigii advers. critic. II. p. 343 ubi complura exempla congesta sunt.

ibd. 22, 4: *decernebatur illi* (Seiano) *statua in Pompei theatro ponenda, quod exustum Caesar reficiebat.* offendit hic paullum vox *Caesar* sine pronomine posita quod constat a Seneca cum tanquam novam personam introducit, plerumque addi. sic *C.* ante *Caesar* de benef. VII, 11, 1 rectissime Pincianus addidit, sic consol. ad Polyb. 15, 5 Lipsius ante *Caesar patruus meus* supplevit *Ti.* quod et illo loco necessario requiritur et perfacile propter litterarum similitudinem seu potius aequalitatem post *tulit* excidere poterat. itaque haud absonum videtur hic post *exVSTV* supplere *TI.* quamquam pro certa atque inviolabili regula haec venditare nequeunt. certe ubi Livii scriptoris mentio occurrit, semper pronomen positum est, cf. Gertzii studia critica p. 20: ibi duo loci soli refragantes emendantur.

VIII, de otio, 2, 1: *hoc quod dico in duas dividam*

partes: primum, ut possit aliquis vel a prima aetate contemplationi veritatis totum se tradere, rationem vivendi quaerere atque exercere secreto; deinde ut possit hoc aliquis emeritis iam stipendiis, profligatae aetatis, iure optimo facere et ad alios actus animos referre virginum Vestalium more quae annis inter officia divisis discunt facere sacra et cum didicerunt docent. duobus igitur hominum generibus vita otiosa conceditur; alteri a prima aetate, *τοῖς θεωρητικοῖς*, alteri emeritis stipendiis, *τοῖς πρακτικοῖς*, aetate provectis: qui quidem cum Vestalibus comparantur quae primum discant sacra facere, deinde doceant. hic prorsus obscura, ita ut intellegi nequeant, sunt haec verba quibus merito crucem appinxit Gertz: *et ad alios actus animos referre;* sic enim *animos* habet cod. A, non, ut Lipsius mutavit, *animum*, ut mihi quidem videtur, infelicissime. namque si modo comparatio Vestalium virginum adiecta aliquo tandem modo huc facere debet, non hoc dici potest hunc aliquem suum ipsius animum ad alios actus referre posse, sed hoc innui debet, ei cum senior factus sit, ut alios doceat otium concedi, ut animos iuniorum dirigat; *animos* igitur necessarium est. sed quid sibi volunt haec: *ad alios actus?* atqui tantum abest ut emeritus ille ad alios *actus* se convertere iubeatur, est contra omnino omnibus actibus supersedere possit: itaque recte Gertz in adnotatione editionis suae *ad alios* cum eo verbo quod sit *actus* coniungendum non esse contendit, cum tamen talem fere sententiam desideret: *et ad alios actus negotiorum deferre;* atque idem Gemoll sensisse videtur, cuius vero scriptum: *animose* non magis quam Gertz quid sibi velit satis perspicio. neque Gertzio ipsi assentior ex *animos* quod corruptum esse vult adiectivum aliquod ad *actus* referendum efficienti: *et ad alios actus omnes deferre.* ista quidem mihi vis videtur esse pro *animos* quod sanum habeo, *omnes* scribere; ut de *deferre* omnino taceam. lenior medicina parata est. si *alios* non cum *actus* coniungi potest, tamen perbene ad *animos* quadrat: ego locum desperatum sic facillime expediri censeo, ut tibi fingas voces *actus* et *alios* a librario quodam, quem eluserint initia similia, inter se permutata esse, scribasque: *deinde ut possit hoc aliquis emeritis iam*

stipendiis . . . . facere et ad actus alios animos referre virginum Vestalium more . . . . — quae si accipies, etiam *alios* in *aliorum* mutare facile animum induces; genetivus enim hic multo aptior eiusque talis corruptela minime rara; (cf. de hac re Gertzii illum excursum, p. 413 sq.): *et ad actus aliorum animos referre . . . .*

dialog. IX de tranquillitate animi c. 16, 3: *quid enim est turpius quam si maximi viri timidos fortiter moriendo faciunt?* aegre hic desidero obiectum certum personale faciendi suppleverimque: *timidos nos fortiter moriendo faciunt . . . .*, praesertim cum statim sic pergatur: *laudemus totiens dignum laudibus et dicamus: tanto fortior . . . .* — similiter VII d. vita beata 5, 4 . . . . *(voluptas) . . . . totos partesque nostri sollicitat* . . . . Koch post *totos nos* addidit, ut etiam Wesenberg suasit.

ibid. melius distingui debet c. 17, 10: *nam sive Graeco poëtae credimus: aliquando et insanire iucundum est, sive Platoni: frustra poëticas fores compos sui pepulit, sive Aristoteli: nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit: — non potest grande aliquid et super ceteros loqui nisi mota mens.* qui post *dementiae fuit* nil nisi punctum ponit, locum parum se intellegere significat; dirimit enim apodosin periodi a protasi. verum modo ad illustrandum quod antea dixerat: (animus est) *aliquando tamen in exultationem libertatemque extrahendus tristisque sobrietas removenda paullisper* haec Anacreontea Platonica Aristotelica affert ut statim ea comprehendat conclusione adiecta: *non potest grande aliquid . . . . loqui nisi mota mens.* sine dubio ante haec verba colon necessarium est.*)

de clementia I, 5, 5: *magnam fortunam magnus animus decet, qui nisi se ad illam extulit et altior stetit, illam quoque*

*) similiter parvolam rem ut attingamus, ibid. 17, 7 sic interpungerem: *qualem Pollionem Asinium . . . . meminimus, quem nulla res ultra decumam detinuit. ne epistulas quidem post eam horam legebat ne quid novae curae nasceretur : sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat.* si simpliciter ut Haase et Gertz comma ante *sed* . . . . ponis, quam gravis intercedat oppositio, parum apparet *(„aber dann auch“ . . . .).* meo iudicio aut colon, ut apud veteres editores, aut punctum ponendum.

infra terram deducit; magni autem animi proprium est placidum esse tranquillumque et iniurias atque offensiones superne despicere. sic cod. N. verba: *infra terram* corrupta ac merito editoribus longe plurimis suspecta sunt; primum quia per se inepta sunt, — quid enim hoc sibi vult: *magnus animus magnam fortunam infra terram deducit?* apud Senecam certe nusquam alibi inveni; deinde quia nihil in iis est quod recte opponatur iis quae adversative adnectuntur: *magni autem animi proprium est placidum esse tranquillumque* . . . . nam si obvertis : at insequitur : . . . . *et iniurias atque offensiones superne despicere*, nihil dicis; his enim verbis exsequitur Seneca tantum quae antecedunt *magni* . . . *animi* . . . *est placidum esse tranquillumque:* haec quidem verba si opponere voluisset, primo loco, puto, collocasset. — quae critici adhuc temptabant, *in terram* vel *infra ad terram* Lipsius (quae iam Gronovius refutabat), *infra servam* Gertz, haec manifesto nihili ac magis dicta ut aliquid dictum esse videatur quam quae illis ipsis probata fuissent; neque nobis cum iis serio agendum est. scribas: . . . (magnus animus) *nisi se ad illam extulit et altior stetit, illam quoque in feritatem deducit* . . . . quibus optime sequentia opponuntur: *magni autem animi proprium est placidum esse tranquillumque* . . . . hoc . . . . *superne despicere* etiam tunc bene respondet illi: *se* . . *extulit et altior stetit.*

quam facile *in feritatem* in *infra terram* corrumpi potuerit per se apparet; ac quomodo fiat ut Seneca hoc loco in ipsius feritatis notionem incidat, statim intelleges si id tibi revocas feritati opponi clementiam cui commendandae tota haec disputatio inservit. cf. II, 4, 1: *quid ergo opponitur clementiae? crudelitas quae nihil aliud est quam atrocitas animi in exigendis poenis.* haec crudelitas exsuperans appellatur **feritas**: ibid. § 2 *possumus dicere non esse hanc crudelitatem sed feritatem; cui voluptati saevitia est.* naturam Phalaridis e. g. § 3 ibid. docemur crudelem esse: *illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent, sicuti Phalarim quem aiunt non quidem in homines innocentes sed super humanum ac probabilem modum saevisse;* — eadem contra de ira II, 5, 1 sqq.

feritas appellatur, ubi ceterum crudelitatem rursus peius maiusque quiddam esse significatur quam feritatem: . . . . *quaerendum est, hi qui volgo saeviunt et sanguine humano gaudent, an irascantur cum eos occidunt a quibus nec acceperunt iniuriam nec accepisse ipse se existimant: qualis fuit Appollodorus aut Phalaris. haec non est ira, feritas est. . . . . . origo huius mali ab ira est, quae ubi frequenti exercitatione et satietate in oblivionem clementiae venit. . . . novissime in crudelitatem transit. . . . .* clementia, ut Aristotelis termino utar, παρέκβασιν habet. altera parte crudelitatem vel feritatem, altera misericordiam (de clem. II, 4—6).

ibid I, 8, 1: *grave putas eripi loquendi arbitrium regibus, quod humillimi habent? ista, inquis (N: inquit), servitus est, non imperium. quid? tu non experiris istud nobis esse tibi servitutem? alia condicio est eorum qui in turba . . . . latent, quorum et virtutes ut adpareant diu luctantur et vitia tenebras habent: vestra facta dictaque rumor excipit . . . . . .* codicis Nazariani scriptura hic manifesto mendosa est; ad supplendam sententiam aliquid desideratur. satis infeliciter Haase: *tu non experiris imperium istud esse nobis, tibi servitutem?* neutrum intellego, nec quomodo arbitrium libere loquendi, quod humillimi habent, imperium dici possit, nec cur idem tam nude absoluteque principi servitutem impingat. neque melior Gertzii coniectura pro *istud sicut* scribentis; in eis enim quae insequuntur tantum abest ut condiciones principis et multitudinis pares esse dicantur, ut contra graviter altera alteri opponatur. Gronovii conatus optimum est prorsus omittere; ne multa: lenissima medela eademque necessaria est addita negatione sic scribere: *quid? tu non experiris istud nobis esse, non tibi servitutem?* — haec obvertit Seneca Neroni: duo cum faciunt idem, non est idem. tenuis homo atque infima de gente natus nisi linguae et irae morem gerere poterit, videbitur sibi infelix ac servus esse, et interdum revera poterit, quia, quicquid fecerit, semper in turba obscurus latebit: a principe contra summo loco collocato condicio eius et respectus famae ipsius imperiose exigit ut se coerceat et refrenet, quia eius *facta dictaque rumor excipit* et *qualemcunque*

famam meruerit, magnam habiturus est. — de negatione in libris vel addenda vel detrahenda conferes locum classicum, Madvigii comment. ad Cic. de finib. libr. 2 p. 473; talia apud Senecam minime rara (vid. Gertzium in indice posteriore edit. suae p. 427 II a 1).

de beneficiis II, 6, 1: . . . *multum celeritas adiecit, multum abstulit mora. sicut in telis eadem ferri vis est, sed infinitum interest utrum excusso lacerto torqueantur an remissa manu effluant, gladius idem et stringit et transforat, quam presso articulo venerit refert, ita* (add. Haase) *idem est quod datur, sed interest quomodo detur.* duo membra ex quibus protasis enuntiati comparativi constat cum prorsus eundem in modum conformata sint, tamen in codice non ita traduntur ut plane sibi respondeant. utroque enim ex binis sententiis inter se oppositis composito in priore tantum legimus particulam adversativam *sed,* sed facillime una syllaba iterata efficitur et in altero: *sicut . . eadem ferri vis est, sed infinitum interest, utrum . . . torqueantur an . . . manu effluant, gladius idem et stringit et transforat. at quam presso articulo venerit refert: ita idem est . . .* — Gertz potissimum hanc medelam felici successu adhibuit, e. g. cf. ibid. I, 15, 1: *ego vero beneficiis non obicio moras; quo plura maioraque fuerint, plus adferent laudis. at* (add. G.) *adsit iudicium: neque enim cordi esse cuiquam possunt forte ac temere data.*

eandem adhibuerim consol. ad Polyb. (XII apud Kochium, apud ceteros XI) 11, 4: *tota cum regibus regna populique cum gentibus tulere fatum suum: omnes, immo omnia in ultimum diem spectant. non idem universis finis est: alium in medio cursu vita deserit, alium in ipso aditu relinquit, alium in extrema senectute . . . . vix emittit; alio quidem atque alio tempore, omnes tamen in eundem locum tendimus.* offendit me hic, quod tam abrupte ab eo, omnes ad mortem destinatos esse, transitur ad id, non eundem universis finem esse: quae duo maxime sunt inter se diversa. certe cum diversas mortes persecutus Seneca *(alium in medio cursu vita deserit, alium in ipso aditu relinquit, alium . . .*

vix emittit) rursus ad priorem cogitationem revolvitur, hanc oppositionem voce *tamen* exprimit. itaque ante ea quoque verba: *non idem universis* . . . . particulam quandam adversativam excidisse suspicor; potuit autem post *spectāt* perfacile *at: — omnes, immo omnia in ultimum diem spectant. at non idem universis finis est.*

his duobus locis adiciam tertium d. benef. IV, 18, 2: *fac nos singulos, quid sumus? praeda animalium et victimae ac bellissimus et facillimus sanguis; quoniam ceteris animalibus in tutelam sui satis virium est, quaecunque vaga nascebantur et actura vitam segregem, armata sunt: hominem imbecilla cutis* (add. Madvig) *cingit, non unguium vis, non dentium terribilem ceteris fecit, nudum et inermem societas munit.* omnia hic ἀσυνδέτως adserta, in enuntiato protatico a *quoniam* incipienti duo membra, in apodosi tria. vereor ne totus connexus sententiarum difficilior fiat ad intellegendum, nisi post *est et* interiecto sic scribes: *quoniam ceteris animalibus . . . . satis virium est et quaecunque vaga nascebantur . . . ., armata sunt: — hominem imbecilla cutis cingit, non . . . . fecit, nudum munit.* — *est* et *et* saepissime a librariis confundi constat.

in tertio libro de beneficiis inde a c. 29 quaeritur, *an aliquando liberi maiora beneficia dare parentibus suis possint, quam acceperint.* quod Seneca copiosissime comprobat; atque ultimam quidem interlocutoris obiectionem c. 35, 4 sic legimus in codice N: *patris beneficia a filii beneficiis non possunt, quare? quia vitam accepit a patre quam nisi accepisset, nulla dare beneficia potuisset.* quae tum ita refutantur: *hoc commune est patri cum omnibus, qui vitam alicui dederunt; non potuissent enim referre gratiam, nisi vitam accepissent. ergo nec medico* . . . . etc. in quorum initio ad verbum auxiliare requiritur principale, aperte passivum, velut *vinci, superari.* vulgo igitur *vinci* post *patris beneficia* inserere non dubitaverunt, cum constet tales voces integras sive per librarii neglegentiam sive aliam ob causam nimis saepe in hoc codice omissas esse. tamen in hoc non acquiescendum fuisse censeo. altera enim accedit offensio eaque gravior.

quae tam plene fuseque hic inducuntur quasi prorsus nova sint, non sunt: eandem fere obiectionem legimus iam

c. 29, 3: *quidquid, inquit, est quod dedit patri filius, utique minus est, quia hanc ipsam dandi facultatem patri debet. ita nusquam beneficio vincitur, cuius beneficium est ipsum quod vincitur.*

30, 1: *quidquid praestiti patri, etiam si magnum est, infra aestimationem paterni muneris est, quia non esset, si non genuisset. . . .*

quae iam excepit longa tractatio. scilicet Seneca e more suo obiectionem adversarii saepius repetit, cum ut disputationem vividiorem reddat dialogo quasi oculis subiecto, tum hoc potissimum loco tempus ei esse videtur *quaedam ex nostra, ut ita dicam, moneta proferri* (35, 1). similiter agit e. g. in libro I de ira ubi eos redarguit qui ira opus esse ad puniendum putent. hoc cum capp. 14 et 15 satis fecit, cap. 16 rursus illud placitum peripateticum subito profert: § 6 *procedam in tribunal non furens nec infestus . . . . et cum cervicem noxio imperabo praecidi et . . . ., sine ira . . ero. iracundia opus est ad puniendum. quid? tibi lex videtur irasci iis quos non novit . . . .?* — haec si tenes, concedes, puto, parum apte praeparari nos ad argumenta adversarii, quae minime nova, immo quae saepius nobis iam inculcata sunt, particula illa interrogativa et plena *quare.* atqui uno velut ictu duae offensiones, quibus hic locus laborat, removentur, si scribis: *patris beneficia a filii beneficiis non possunt aequari, quia vitam accepit a patre, quam nisi accepisset, nulla dare beneficia potuisset.* sic demum, opinor, sententia suum ἦθος habebit. simul illud te non fugiet interlocutorem illum iam ita probationi potentissimae Senecae cessisse ut filiorum beneficia a paternis non iam utique *vinci* velit, sed ad id descendat: *non aequari posse**).

*) in transcursu locum desperatissimum temptare mihi liceat, d. benef. IV, 12, 5: *nemo Tusculanum aut Tiburtinum paraturus salubritatis causa et aestivi secessus, quoto anno empturus sit, disputat;* † *cum erit, tuendum est. eadem in beneficio ratio est: nam cum interrogaveris quid*

ibid. VI, 19, 1: *negas, inquit, ullum dare beneficium eum, qui me gratuita nave per flumen* † *radum tulit? nego. aliquid boni facit, beneficium non dat; facit enim sua causa aut utique non mea: ad summam ne ipse quidem se mihi beneficium iudicat dare, sed aut reipublicae aut viciniae aut ambitioni suae praestat* . . . . pro *radum* quod prima manus codicis Nazariani exhibet, altera scribit *padum*, i. e. *peradum*, unde editores vulgo lineola neglecta *Padum* effecerunt. atque vehementer Gertzio adstipulor hanc mutationem, quantumvis facilis sit, improbanti; argumentis eius non adstipulor. neque enim cur non iure suo Seneca deinde respondeat: *facit enim sua causa aut utique non mea*, neque cur fieri non possit *quin in interlocutoris verbis aliquo modo significatum fuerit portitorem hoc vulgo facere et ita ut singulos homines non spectet*, satis perspicio. coniecturam non profert. — equidem quid omnino hic flumen illud cisalpinum sibi velit prorsus caligo. non refragarer, si de amne quodam incluto aut etiam de minore alio, modo ei philosophi assedissent, sermo esset: at mentio Padi in exemplificationibus philosophorum, quod sciam, inaudita est. accedit quod non tam refert quomodo flumen, per quod gratuita nave ferris, appelletur quam quantum sit benficium, quod hac in occasione accipias: quod eo maius esse puto, quo difficilior fuit transitus fluminis. itaque meo quidem iudicio non nomen proprium, sed adjectivum in voce corrupta quaerendum est; et quid est facilius quam ex *radum* vel *peradum* *rapidum* efficere: *negas, inquit ullum dare benificium eum, qui me gratuita nave per flumen* *rapidum* *tulit?*

Libri tres de ira non ut in A sic in omnibus ceteris co-

---

reddat, respondebo: bonam conscientiam . . . . ex verbis: *cum erit, tuendum est* effecerim: *quanticumque erit* (vel *emerit?*), *utendum est.* disseritur beneficium per se esse expetendum; quanti stet, non quaeri oportere; aeque qui salubritatis, magni boni, causa villam emat, non disputare, quanti emat.

dicibus distincti et ordinati traduntur. in codd. enim D et P_2 Fickerti inde a II, 18 liber tertius incipit, in P_2 a III, 1 quartus. multum tamen aberat, ut tam tenui notae facile deterioris testimonio uterer ad eam opinionem quam p. 34/5 protuli commendandam; neque nunc me movet codicis e bibliotheca nationali Parisina a Rossbachio extracti auctoritas (cuius commentationem quae est inscripta *Symbolae ad Senecae filii libros recensendos et emendandos pars I, Vratisl.* 1887 nuper demum cum haec iam prelo mandata essent legi): quanquam cod. P Rossbachii (cf. pag. 9 et 10) tertium librum, quem peculiari recensioni vindicavimus, revera a ceteris duobus alio dialogo interiecto diremptum exhibet. huic testimonio XIII. saec. hac in re parum aut nihil tribuimus.

Natus sum Richardus Pfennig a. d. XIII. Cal. Mart anni h. s. LXII Zeissaviae in vico Silesio patre Carolo matre Henrietta e gente Hentschel quam iam pridem morte mihi ereptam lugeo. Gorlicii litterarum elementis imbutus frequentavi scholam quam tum dicebant realem I. ordinis, Wutzdorffio rectore, nunc vero gymnasium reale, cui una cum gymnasio praeest Eitner. maturitatis quod dicitur testimonio instructus a. LXXXI Gryphiam me contuli philologiae recentiori operam daturus: sed mox ad classicam me converti; atque examen gymnasiale ad hanc rem mihi necessarium a. LXXXIV in eadem patria mea superavi. docuerunt me Gryphiae vv. dd. Behrens Kaibel Kiessling Koschwitz Maass Preuner Schuppe Seeck Susemihl de Wilamowitz-Moellendorff, quem quidem virum et vidisse et audivisse semper lucro mihi adponam. Kiessling Kaibel Maass benigne mihi concesserunt ut seminarii philologici sodalis essem extraordinarius per sex menses, ordinarius per tria semestria, per duo senior; nuper in seminarium romanense benevole me recepit Koschwitz. praeterea interfui exercitationibus Aristotelicis a Susemihlio, philosophicis a Schuppio, archaeologicis a Preunero, historicis a Seeckio, romanensibus a Behrensio institutis. quos viros omnes optime de me meritos grato semper animo prosequar, imprimis vero Kiesslingium, qui ut primo vestigia mea titubantia ad humantitatis studia direxit ita postea singulari qua est benevolentia adiuvare me nunquam desiit.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Divisionem bipertitam generum dicendi ad Isocrateos refero.

II.

Fowleri (diss. Bonn. 1885 p. 34/5) fragmenta 13—15 prorsus incertis rationibus Panaetii scripto *περὶ εὐθυμίας* vindicantur.

III.

Senecam in libello de tranquillitate animi aliqua ex parte Athenodorum secutum esse contendo.

IV.

Plut. *π. εὐθυμ.* 477 F (c. 20) cod. D scripturam sic legendam: *οὐχ ὅπως αὐτοὶ μὲν ἑαυτοῖς ἀναπνοήν τινα καὶ ῥᾳστώνην πορίζουσί ποθεν* (editt. *πορίζουσιν· πόθεν;*), *ἀλλ' οὐδὲ ἑτέρων* . . .

V.

In libello *περὶ ὕψους* ed. Jahn p. 32, 8 conicio: *καὶ ἐν τηλικούτοις ἥρωσι κριταῖς τε καὶ μάρτυσιν ὑπέχειν τῶν γραφομένων εὐθύνας πειρᾶσθαι.*

VI.

Quae Rossbach in novissima commentatione sua p. 10 ad evincendam cod. P praestantiam affert, parum probabilia sunt.

VII.

Et optimismus et pessimismus transcendentem rationis usum involvit.